THOMAS LINDNER

Carmina

puerilia iuvenilia alia

rhythmica antemetrica paenemetrica metrica

Editio maior
ab auctore curata

Vol. I. ($C^{M}{}_{1}$)
T L L^{3} L^{a} l^{1} l^{2} L^{N} J (var.) complectens

Salisburgi MMXXIV
Officina Tiliana

In Kommission bei
EDITION TANDEM, Salzburg | Wien
www.edition-tandem.at
Druck: druck.at

ISBN 978-3-903516-02-1

PRAEFATIO

In huius editionis priore parte facsimili mea carmina puerilia et iuvenilia, quondam dactyloscripta nec non disperse castigationibus autographis adnotata et nunc tandem a me recollecta, primum publici iuris fiunt, non solum ne pereant, sed etiam ut exemplo sint Latinae versificationis tironibus. Et hoc ut ultro faciam, non quidem eo adducor, quod sint vel equidem aestimem alicuius pretii litterarum, sed hoc potius argumento, quod evolutio poëtica et metrica individualis – quasi ontogenetica ad analogiam phylogeneticam poëseos Latinae – in uno corpore textuali possit comprehendi. Quae in editione critica *Lyrae Latinae* siglo **T** notantur, in praesenti volumine demum pleraque reperiuntur. In posteriore parte variae editiones «apocryphae» [**L** L^3 L^a l^1 l^2 L^N J (var.)] praesto sunt.

Thomas Lindner

T

Carm. I, ed. I (de Lindaue)

Cara mihi Lindau, pulchra urbs, circumdata portu,
   Marmorea statua quem tuitatur honos
Oppidi: ocello acri truculenta ac mitis imago
   Celsa leonis adhuc in quoque perpetuom
Urbem custodiet prope turris lumine claro,
   Index tempore prisco manifesta viae.
Insula parva simul lato circumdata ponto:
   Fessula purae algor corpora aquae reficit.
Quaeque domus tua delectat ornamine pulchro:
   Quatenus, urbs, superest aeva perenne decus!

Carm. I, ed. II (de Lindaue)

Tam spectabilis urbs, Lindau, mi sic placuisti,
Ut rursum vehier, si tempus vacaret, averem!
Namque mihi et patri sudis aestatis diebus
Sunt feriae vectione per omnem patriam amoenam
Actae. Quoque magis laetor: De finibus nostris
Cessimus, ut Lindauem noscere denique possem.
Crede mihi admirato, quam tua clara venustas
Compulerit statim, uti mea fistula carmina cantet.

Primum per hortos transivimus ordine cultos
Crebris floribus ornatos, ut lusibus fulgor
Praetereuntum animos hominum ad se verteret omnîs.
Quaeque domus quam pulchro sit iocunda decore
Pluribus et signis, formis mirabilibusque
Caelata, admiror; nonnullas navi amore
Artifices aedîs restauravere novandi.
Postidea gressum ad portum direximus nostrum:
Quanta sublimitas, et quanta leonis tuentis
Maiestas et honos aeternus decore opulenti!
De statua celsa, inpigris austerus ocellis,
Aspicit ut tutela novos attendere lembos.
Iuxta turris sita est, olim index plana viai.
Valde signa duo mirabar illius portus.
Urbs Lindau felix, gelido circumdata ponto:
Nos quoque, cum spectare insignia desierimus,
Quando sol rutilans fulvam diffundere lucem
Et moriens imam postremo coeperit auram,
Illuvie absque latex oblectat frigore miti.
Insula et urbs Lindau, parva es; mirabilis autem
Vera venustas me permulsit, nobilis, quantam
Gratus salutator alias vix visere posset.
Qua ratione diu decus asservetur, amoena!

Carm. I, de urbe Lindaue (ed. III)

Cara mihi, pura et gelida circumdata lympha,
Insula et urbs Lindau, parva es; mirabilis autem
Aspectus cunctorum hominum inflammabit amoenus
Protinus ignota cuppedine corda manendi.

Primum per hortos transibunt ordine cultos
Crebris floribus ornatos ac caespite molli.
Deinde gradum ad portum protectum insignibus altis
Vertent: Quam sublime leonis lucet imago:

Adsiduis oculis, sedamen civibus illud,
De statua celsa regionem despicit omnem.
Prominet in caelum prope prisco tempore quondam
Turris acuta, viai claro lumine monstrans.

Quaeque domus mihi visa opulenta decore decenti
Pluribus et signis casco ritu et simulacris
Caelata est: Multa nonullas navi amore
Artifices aedis restauravere novandi.

Usque in perpetuom tu conservere, venusta!

Carm. II, de Lindaue, editio ad principem Lindauis missa

Lindau, pulchra urbs, mi sic placuisti,
Ut iterum vellem vehi ad te.
Feriae aestatis serenis diebus peractae sunt
Pulchra vectione per omnem Austriam.
Et gavisus sum nos vehi de finibus nostris
Ad pulcherrimam urbem Lindauem noscendam.
Parva es, insula et urbs Lindau. Sed tanta
Mira pulchritudine mihi apparuisti, hortis
Floribus completis, domibus moribus antiquis
Ornatis, quanta visitantibus raro aspici potest.
Multi dies nobis non fuere; ea de causa
Tantummodo vidimus paullulum urbis.
Sed quae vidimus, statim nobis placuere.
Admirabar tuum portum, leone turrique
ornatum, et lacum, qui circumdat te
Aqua squalore libera et iocundo frigore.
Quisque tuam venustatem videns confestim
Te, omnem deinde regionem adamet.
Qua de causa eam diu conserves, o grata
Urbs Lindau!

Carm. III, de Lindaue

Lindau, pulchra urbs, mi sic placuisti,
ut iterum velim vehi ad te!
Feriae aestatis pulchris diebus peractae sunt
patri mihique vectione per omnem Austriam.
Et gavisus sum nos vehi de finibus nostris
ad pulcherrimam urbem Lindauem noscendam.
Parva es, insula et urbs Lindau. Sed tanta
mira pulchritudine mihi apparuisti, hortis
floribus completis, domibus moribus antiquis
ornatis, quanta mira urbs apparere potest.
Multi dies nobis non fuere, ea de causa
tantummodo vidimus paullulum urbis.
Sed quae vidimus, statim nobis placuere.
Admirabar tuum portum, leone turrique
ornatum, et lacum, qui circumdat te
aqua squalore libera et iocundo frigore.
Spero mox ad te me venire posse cum patre et matre,
ut etiam mater spectare possit tuam venustatem.
Qua de causa eam diu conserves, o grata
urbs Lindau!

Carm. IV, de celeri tempore

Tempus tam celeriter perit,
ut quaerere debeam ex te,
ubi tempus nunc tandem sit.
Responde mihi meam quaestionem,
amice, tempus, nam tempus solvitur.
Iterum periit annus, qui nobis tulit
nonnumquam mala, nonnumquam bona,
quoius nunc autem egemus submaesti.
Tarde venit enim aetas desiderata,
celerius perit.
Desperant autem homines quidam de facto,
uti iuvenes fuerint pulchritudine tali heri,
affecti sint ut ab omnibus admiratione,
et, quam habuerint, propter fortitudinem eam,
uti autem post spatium minutum iam viri,
ob facta admirati eorum viros illustres,
imitari si ea facinora possent, experti,
uti ad gloriam pervenirent, adepti
sint tandem veris quoque factis,
uti senes nunc sint, qui quidem sublati
viri notatione sua possint laetari,
sed quoque timere, ne mox se mors
velociter atque atrociter rapiat, debeant.
Nam tempus tam celeriter perit!

Carm. V., de Eugendorfo

Vicus, in quo primum vidit mater vitam,
sedes aviae meae, postea quoque avi mei,
appellatur Eugendorfus. Pristinis temporibus
erat Eugendorfus parvus vicus, incultus solum
ab agricolis paucis. Avia mea cum nata esset,
lente crevit parvus ad maiorem vicum vicus.
Sed stupebis, cum nunc primo conspicaberis vicum.
Iam tot homines habet quot habet incolas urbs parva.
Aedes sacra, quam ex iam longinquo vides, amice,
cum veheris publico ad septemtriones, tempore
antiquo structurae Romano genere aedificatast.
Pater meae aviae, dominus deversorii siti
sacram ad aedem, tribunal aedificandum in ea curavit.
Propterea quod proavus meus se tradere deversorio debuit
et sero venit ad ecclesiam saepe.
Cum enim coepisset iam liturgia sacra,
proavus intravit sacram aedem.
Aliquid habuit res offensionis. Tortus vir est
animi dolore et de exitu cogitavit illius rei.
Diu deliberavit et iniit tandem consilium.
Sacerdotem rogavit, num ei aedificare liceret
tribunal. Sacerdos haud aliter sensit,
quod proavus constanter vectigalia solvit ei.
Nunc autem res habuit offensionis nihilum,
namque sensit venientem sero proavum nemo.
Usa omnis familiast tribunali, etiam ego
nonnumquam liturgiae sacrae adfui in eo.
Et nunc advena iussit aedem renovari sacram,
et tribunal rescindi haud rogans, cuius est, aviam.
Tristest, ut advenae liceat decernere de nostro,
et meae aviae, quicumque rescindi iussit,
inferat tantam iniuriam!

Sed ego libenter perago vitam in vico cum mea avia,
quam amo quaeque mihi semper dat bona,
me amat, est laeta, quandocumque ibi consumo iucundum.
Semper aures tinniant, quae cara mihi intulit avia, bona.

Carm. VI, de pace

Multa sunt dicta nobis!
Iustissima eorum sunt haec,
ferunt quae homini pacem.
Quis enim, dixit qui sese facere pacem
cum eis, quibuscum gesserat bellum,
eo dicto libenter esset functus?
Quis autem, legentes, functus erat?
Neminem dicere queo, neminem scio!

Cupiditate regni faciunt arma adducti,
quibus omnis terra centies posset deleri,
totius terrae enim volunt esse reges,
imperatores.
Sed hi viri conscii sibi haud sunt populationis virium,
quod alias deberent novisse,
ut, cum utuntur his armis,
etiam eis sit moriendum ex parte
una, quod robur telorum depopularetur
omnem terrarum facile orbem,
altera, quod, si incursionibus superessent telorum,
radiis perirent, qui versarentur circum orbem.

Ergo desinite facere talia arma,
vivite pace, populi, credite mihi:
melius est quam vastare terram!

Carm. VII, de medicinae taberna

Impellit me animus describere salviferam aedem;
Constanter multis celebrata est segnibusque aegisque.

Illa taberna sita est regione inclusa frequenti;
Cum venietis ad ingentis portas oneratas
Certa obice et claustris aedis tuitantibus probe,
Aspicietis duas, tantum quae noctu opertae
Sunt, valvas bruto ferro nigroque colore.
(Namque homines pravi rapturi repere nocte
Vias inter publicas consuere a nemine visi –
O scelus horrendum – somni velamine tecti.
Valvae illos arcent: Nullis privare tabernam
Sic rebus possunt avidi cuppedinis viri!)
Post illas porta est, valvis versabilior sis,
Vitro facta mero circumdata margine ligneo;
Hic margo pulchris insignibus ornabatur.

Introeuntes dein laxum conclave tabernae –
Amplum; ingens; latum; stupebitis accedentes –
Mensam vendatoris prospicietis, qua in arca
Stat: sonitu claro / haec capsula tinnit aperta;
Solum aperitur, cum fas est haurire monetas.
Ac variae merces - suci guttaeque theaeque -
Hacce iacent mensa (sunt haec medicamina parva
Contra aspram tussim, rhinitim contrave molestam).
At medicamina sunt graviora armario operta,
Quod modo secreta clavi, cum opus est, aperitur.
Illinc cedentes, merx qua datur hominibus venum,
Intratis fabricam liquidi medicaminis plenam.
Conclavi medio tabula stat ferrea bruta:
Hic laeva tabulae ponuntur vasa lavata,
Hic et cena iacet dextra; carnem similamque
Nonnumquam felix et publica repperi / acta!
Post stat mensa minor, ferro fabricata / eodem:
Hic unguen guttaeque creantur pharmacopolis
Adsiduaque manu miscentur theae atque medentur
Segnibus et aegris: Vis - credite! - magna medendi est!
Laeva parte sita est statera, iugis patulis et
Lancibus orbiculatis.

Salviferam compellit amor me pangere versu
constanter multis celebratam segnibus aedem.

Dextra parte locata est ampla cucurbita, puro
Quae est vitro; tolerare liquorem perfacile acrem
Et subsistere quit igni, si ponitur illac.
Est infundibulum demissum in cuius collum,
De quo destillat liquida ac pellucida gutta.
Sunt loculi infixi muro huius salutis tabernae,
In quibus innumerabilis est lataru' lagenarùm
Ordo colore nigro - translucida parvula pars est.
Servat pharmacopola venena tuenda lagenis,
Per quas nullu(m) potest radios inmittere lumen.
Sin autem radii cuiusvis luminis tangant,
Corrumpantur, cum findantur luce venena.
Cervices harum dura sunt cote / acutae,
Atque illuc stipulae certo sunt vitro inmissae.

Ex conclavi illo cedetis et introeuntes
In aliud, multas capsas specietis repletas
Instrumentis, quîs utuntur pharmacopolae,
Cum nardi atque theae et medicamina sicca creantur.
In medio spatio stat mensa, ex robore facta,
Qua adsiduis manibus peraguntur pharmacopolûm
Praecipua multa multa experimina cura.
Cellae huius laeva cognoscere quitis caminum,
Quo cortina locata est maxima, cui corium ignis
Fuligo impressit atrum - sic pristinus fulgor
Cortinae fulvus fervorem effugerat aestus.
(Numquam purgatam se ipsa cratera fatetur!)

Pharmacopola venit atque arida siccaque ligna
Arsuro nutrimen scintillamque dat igni.
Si paullum remanetis, potestis tempore parvo
In media exiguom fornace videre calorem:
Lignis indita erit vibrans mox stridula flamma,
Quae guttas stimulet, quibus est cortina repleta.
Iam excipier mutus crescens bullitus potestur
Constanter: iam ligna crepant, iam sibila flamma -
Turbida aqua aestuat: hinc conscendunt aera bullae,
Iamque videntur aquae cortinam linquere velle -
(Ut, lectores, noveritis: canum coquitur ius,
Quod podager sanandus dein vehementer avebit!)

Nulla potest rabidas guttas vis intus tenere:
Extunduntur aquae / omne inundant spatium, cum
Effunduntur aquae ac conclavia cuncta refundunt:
Cano iure solum perfusumst funditus amplum,
Cuncta taberna olea fragrat - fy! - rancida perquam!

Pharmacopola venit supremus; sonore sonoro
Est allectus celer. Voltu - manibus resupinis -
Quem solet ille alias ridentem ferre serenus,
Incessit austero, nam vidisse tumultum
Verterat obtutum;/ obtutus fulmina vibrat!
"Quis vestrum", dixit, "haud ad cratera coquentem
Attendit animos? O inaccurata caterva,
Olfacite, incauti, quis adsit nidor acerbus!
Aspicite, o pigri, qua turba turba regatur!
Nunc properate agedum, depurgatote tabernam!"

Finierat ab his; iamiam iussum incitat omnîs
Principis sic verbis duris monitos, reprehensos:
Ociter occoepere hanc tandem tollere turbam.
Pars pannis bene siccavit sugentibus fundum,
Pars purgat crateram — iterum species vetus paret!
Tempore lustrabant recto conclavia cuncta
Ac reserantur itae nil supicientibus portae.

Est finiendu(m) mihi carmen; nunc scitis, legentes,
Qualem conspectum post mercis concipiendae
Mensam habeant conclavia vel quae difficiles res
Pharmacopolis perficiantur in hacce taberna.

Carm. VIII., ad meam aviam

Avia cara, solebas numquam de tua queri sorte,
et etiam non nunc quereris, et mirari
debeo, quam possis perferre dolores,
silentio, verbis nullis, numquam dicis te dolere.

Admiror quoque tuam felicitatem, beatam
novi te esse, quam libenter vitam peragis
et ego tam libenter vitam ago tecum laetorque,
quod domi tuae quiescere possum, quod domi

possum me tuae duris negotiis vitae
abstinere gratisque otiis et me dedere possum,
quod domi tuae molles agitare labores
queo, diversique hi sunt iis, qui perficiendi

alias sunt mihi, cum intus sum Iuvavo.
Avia cara, quam laetus sum, cum vitam perago
apud te, et apud materteram avunculumque!
Mollis mi vita est, dum sum apud te, avia!

Carm. IX, ad pravos artifices

O populi, quos admiramini, qui faciant musicam?
Nunc quos fingunt
admiramini, sese
inlustres, quod musicam composuerant
atonalem
dicunt hi "modernam".
Immo vero, non solum musica tam turpis
est, sed etiam
synopsis stupida.
Sunt complures quippe, qui accipiant
talem musicam
atonalem, nulla
vera melodia. Quin etiam isti
non terrentur
Heu! synopsi prava.
Num obliviscamur sonantis melodiae?
Neglegamus?
Graviter poscamus!
Revertamur, ubi fuimus antea!
Neglectos se
cum vident, factare
desierint, quae nolumus, fortasse:
pravam musicam
et stultam synopsin!

Nunc, precor, dirae linquamus musicae hiemem,
Nunc, precor, vigens quaeramus musicae gratum ver!

Carm. X, pravum tempus

Quam pravum tempus!

Quam pravum tempus! Picturas hodiernas
cum video,
possem lacrimare;
Neglegitur omnis pulchra effigies,
efficitur,
quod vere explicari
Non potest, quod est deforme, pulchritudinem
quod non habet!
Possem vere flere!
Quare? Non possum loqui. Quamquam doctorum turba
dicit omnes
eas singulares
Res futuras, res iam esse, cum ego
coner dictare
eas terribiles.
Nonne picturas comprendo, nonne intellego?
Ita non credo!
Ii enim pravi,
Qui audent artifices se ipsos appellare;
nullum queunt,
vere, quare quaerunt
Novum simplex, quod non poscit mentem,
nihilum quod
poscit nisi sumptus,
Quibus usi sunt, cum 'creabant', isti.
Sed quid dico?
Non digni loquendo!

Carm. XI, ad iudices criticos

Monstra mi chartam, chartam, qua notu(m) videbis
Verdis opus — fato laetare tibi bene velle!
Mi misero nondum lidet heu! mihi maximus maeror!
Quid faciam, accipiam ut chartam, qui visere possim
Verdis pulchrum opus, ah! quod perquam visere velim!

Nec merito criticos tradunt laudasse operam illam.

O criticos, cuique artifici funesta caterva,
Futtilibus verbis quae temptat vertere mentem
Veram et falsiloquos sermones indere freta
Verbosa arte: puto verbosos esse libenter
Velle istos homines. Multas scripsere columnas
Actaque publica sunt acri sermone referta!
Quod non comprendo: criticis his haud placuisse
Has operas dicunt, quas ipse probare cupivi.
Nam melicas artes perhibent istos didicisse
Atque ob quas possint decernere, sit bona ista,
Quae mihi non vere placuit, nec sit bona illa,
Quae mi operâ placuit valde, quoniam bene tinnit.
Nonne illud scimus? Nobis non cernere fas est?
Nonne auris nobis, qua audire hoc omne queamus?
Non nobis, qua cernere quimus, pulchrane, bella
Sit ea melodia, mens - turpin', qua cernere quimus?

Certe mens nobis! Quare cernamus nosmet!

Carm. XII, ad patrem

Omnia sunt vitanda tibi cuppedia, care!
Quod tu opimus eras, pater, orbiculato ventre
Praeditus - quod cuncti stupuere homines curvamen!
Nil pudore opus est! Decrescit venter adultus.

Quod tibi erunt graciles, laetare! Et miror ego ipse,
Tentationes quod suavium patiare libenter.
Ante, recordari queo de illis rebus, potitus
Dulcibus es cunctis, non te retinere quiisti

Abs cena vetita: nam avido esurie ore vorasti
Heu! epulas cunctas, et si modo paulla fuisset,
Exegisses plus semper - nec tum satis - escae.
O utinam, pater, abstineas et protinus esu

Dulci vel nimio: sane altera copia non est!
Mox patrem gracilem censens mansuru(m) videbo;
At speremus eum iam non cuppedine velle
Degustare epulas: Nam non succederet umquam!

Carm. XIII, horrida tempestas!

Cum Mariae sumus Almae, nos ambire solemus,
Mater, ego ipse, pater - valde gaudemus eundo!
Nos quoque heri circum, primum nobis fuit îter.
Non erat arduos mons, nec nudus; at absque periclis,
Plenus, crede mihi, virgultis et fruticetis.
Nam deerat saxum, clivus quoque defuit angens:
Mater amat montem facilem silvisque repletum.
Odit enim rupes clivosque inmanibus saxis.
Iocundi venti nostros mulsere lacertos;
Nos prato viridi lactenti gramine vivo
Et volucrum cantu cantu tam dulce sonanti
Pascimur et montê, clivum qui leniter offert.
Nimbosi ut steterat medio sol vertice caeli,
Iam radianti umbras effecit luce pusillas;
Denique conisi columen sumus illius montis,
Sedimus atque vagis fessi circumdati avenis
Corpora conlata dape restauravimus lassa.
Ut cibo assumpto voltus relevavimus, ecce
Mirabamur, quod subito pluit omnibus nimbis.
Atque dies canus factust: Nunc gaudiu(m) nostrum
Cum plueret versum est in tristitiam / obscuram.
Maesti iimus taciti taciti quasi ante locuti.
Ecce! Imbrem ingratum comitantur fulmina dira -
Mobile enim scito, lector, in montibus caelum! -
Fulmina luxerunt dira et timor occupat artus,
Ne nos missile terrifica rabie confertum
Terrbili ac taetro vibrans per inania bombo
Pertrepidos tuta exquirentîs tecta feriret.
Subserpente metu atroci matercula coepit
Flere fere, et subito pede praetrepidante cucurrit
"Horrida tempestas" clamans "Quam fulmina terrent!"
Proximam ad arborem et heu! illic tremebunda remansit
Corpore: Duxit ibi sese reperisse refugium.
Mater nescia! Non novit sternata fragore
immodico terrifico trabis aucta pericla
Impendens patulae periclum illius arboris auctum;
Ut pater haec vidit, magna validaque vocavit,
arborem
Ne iuxta trabem eam consideret, excitus voce;
Sed tutam credens iam non praecepta paterna
Auribus excepit forsan crepitu deletis.

Nulla, ut dixi, audiverat; at tunc gutture rauco
Concipit ille metum, ne findant fulgura lignum;
Ociter adcurrens leni vi bracchia sumit
Matris et in tuto ponendam corripit illam.
Namque prius - iam primitus fulmina mittier orsa -
Acribus forte suis oculis invenerat antrum,
Quo nunc ducit eam felix - tutela reperta est!
Et tutela fuit: securi sedimus tandem -
Ante ego huc veni latoque paravi amictu
ac stratis telis saltem loca parva sedendi.
Omnis homo est felix, cum tempore venerit apta
ad loca, cum pavido tempestas cesserit anxia.
Sic fuimus laeti ambiguis cum sensibus tandem,
Quos subiit tanto servare caverna recessu.
Amplexusque pater matrem complexaque mater
me manibus trepidis, ambos ego ipse parentes
Nostrum quisque videt caeli spectacula mira.
Ultra non opus est narrare: Revertimus tuti!

Carm. XIV, de vita

Semita par vitae est: Simulac conscendimus culmen,
Descendamus oportet; uti processimus, ire
Nos in prima atque ima opus est fundamina vitae.

Carm. XV, de colle, qui mihi valde placuit

Ventus locum perflat, de quo iam scribere cupio.
Iamque molestus meis visus genitoribus, ipsa
Mater ait: "Thomas, ne fueris importunus!",
Cum dixissem illis: "Hunc tandem visere collem
Concupio et conisus ibi dein carpere vitam!"
Ut pater hunc vidit collem, quem enitier oppido
Exoptavi, edit se etiam mecum ire volentem.
Nam simulac vidit, capitur blandimine collis.
Collis erat nobis ascensus tepentibus uber
Flaminibus, aurae iocundae bracchia palpant.
Hoc ut sedimus in scamno, quod culmine collis
Ligneola mensa ornatum tranquillave praebet
Otia vel volventi anceps data copia scribae
Elicit egregio conspectu carmina amoena,
Vidimus frumentum miti mutarier aura.
Pone sedile arbos lata amplītudine inumbrans
Tergora nostra fuit, patula, alta fronde, colore
Praesignis viridi foliûm nec sorde necata,
Qua natura repleta (dolōr!) ĭn urbibus longe est.
Viminaqué virgasque et ramos moverat ampla
Ventulus; "Ne scriptas asportă, proterve, papyros",
Inquam, et vix potui manibus comprendere chartas.
Decidit ut clivus nec arduos nec reclinis,
Sed modico curvamine, uti conferre colonus
Bobus queat facile stabulo exspectantibus secta
Gramina iam mutata in fenum aromata fragrans,
In tumuli radicibus est sita harundine dives
Plena palus stipulis, ulvis cannaque palustri.
Hic speciosae aves conservantur, regione
Alitibus retributa, quo securius possint
Gignere progeniem et genita illa accrescere tuta.
Clausa palus lacu est limoso plena liquore -
Praecipue limus sanandis artubus prodest -
Saepe solet hominum pars nare diebus serenis
lymphaqué gelida fruitur, pars altera gestit
Circa via arboribus dite praebentibus umbram
Grataque frigora tarda gradu multaque loquella
Pellustrare, dein collatae incumbere sellae.

Immemor altera pars nandi studiosaque fusci
Corporis usque iacet bacchans in caespite culto
De caeloque solet monstranti caerula templa
Sole ardente cutem largo unguine tecta cremari.
Deque fuit tumulo pulcher conspectus in agros:
Gramina aratores succidere falcibus uncis;
Sedule eos fenum vidi amplis curribus ferre.
Impigram eorum operam mirans voltum relevabam:
Rudera divisa aspexi spatiosaque saxa
Fissa velut pugno valido vel fulmine diro.
Hoc mare saxosum iam antiquo tempore dictumst.
Ac nonnulla fenestra domus, quae rupibus altis
Clausa prope speculam, quondam quae noctua dictast,
Exigua inmensis scopulis audacter adhaeret,
Fulsit gemmae instar nitidae teretisve adamantis.
Tramite serpenti multos vidi petere aedem
Hanc homines sole urenti sudore lavatos,
Cum me umbra tenui circumdaret umbrifera arbos.

Quattuor post horis hilari nos liquimus collem:
Quam cuius iuvat et placet - o quotiens - meminisse!

Carm. XVI, de componistis

Cum mea excipitur clarorum musica mente
Italiae priscae aetatis componistarum,
Artes miror identidem, eas quîs hi artifices nam
Semper rursum iterum fecerunt musica(m) pulchram.

At plures moderni res nullas nisi pravas
Turpibus et numeris factant: o musica pauper!
Nostro homini ferme omni tempore percipienda
Musica - pro! - moderna est; heu! Quocumque necesse est

Te transire et unde venis: aliud nihil audis.
Nonne videre queunt, quibus ista absurda creantur:
Non aliud faciant nisi musicam atonalem?
Semper, credite mi, vexor, cum musica talis,

Et comprendite me, pungor, cum verberat aurîs.
Quid facias aliud quam vultu percipere acri?
At memores simus veterum māēstrûm Italianûm,
Diligo quos animo, mihi vere credite, amoque.

Carm. XVI continuatum

Usque tibi, Rossini, honos aeternus paratur -
Namque in perpetuom ludetur tonsor 'Evillae!
Qui scripsisti modis ambobus drāmata multa
Et celeri et laeto numero completa lepore.

Rursum iterumque notae, Bellini, dabuntur in aeva,
Atque canent primadonnae arias, Normae cabalettas!
Qui modo composuisti tragoedias numine celso
Difficili numero multisque colōrātūris.

Artifex Donizetti, decem qui septies scripsti
Melica, magnifice semper semperque operose!
Delectere tua fama, quam tu meruisti!
Lucia certe aures hominum oblectabit itemque

Don Pasqual' potumque amoris mente sonabunt.
Artificum numquam exstinguetur fama celebris
Puccinis Mercadantes Cherubinis Cimarosasque:
Usque in perpetuom fecerunt bella opera illi!

Ex his eminet unus, vocatur rex operarum:
Verdis nobile nomen in orbe perenne manebit!
Notitia est affectus, cum scripsisset Oberton,
Primus honor venit, postquam Nabucco dabatur.

Posthac notus erat vir, compōnista probatus.
Multaque composuit opera et sua fama celebris
Crevit; honore suo firmatur Foscaris aucto
Attilaque et aliis. Tellure omni fiebat

Traviata, Trovatore suo Rigolettoque notus.
Culmina venerunt ambo: Falstaff et Otello.
Nunc tantum meruit, ut, ubi devenerat aetas,
Tam magnanimus et dis esset, ut aedificandas

Aedes pauperibus curaret segnibusque ille.
Es gloriam indeptus summam semperque libenter
Incluta cantatrix celeberque canent cantator
Tuas celerique operas scriptas numeroque sublimi!

→ 'Don Pasquale' et 'amoris' &

Carm. XVII, quid faciam?

O me pauperem! Aegrotus sum
schola iam coepta, nec sanitas
mox revertitur, sed aegrotas
et morbus manet et manebit.
Quid faciam? Loquimini mihi,
nec enim scio, mater nec scit.
Resecare corporis mei
partem volunt medici, sed mi,
mi decernere licet, num eam
in clinicam: causam rogatis
morbi? sentio partem uri
ilium meorum et doleo.
Fames mi deest, gravis semper
quae fuit, vehemens, est iam non mi,
semper quae mihi sano fuit,
potestas celeritatis et
faciendae voluntas rei;
me fessum cerno, dormire nam
mi cupido, mi voluptas; ob
corpus lassatum laborare est
impossibile: est stultum, turpe est!
Quid, identidem rogo, faciam?
Num abire et interesse non
scholae reparandi causa vel
remanere, non abesse ab schola,
sed periculum tenere, corpore - est
leve haud - toto me comburi.
Decretum grave est, mi impulsui
monitisque obsequendum matris.
Praesentia sum tristis, mi crede,
qui his verbis occurris, legens:
difficillimum decretu: Heu!

Carm. XVIII, Lindus patri suo s. d.

Nunc, pater, audis a me rursus iacenti in lecto.
Semper venisti ad me, et gratias tibi refero!
Te secuisse gramen a matre audivi, quae venit
semper ad me, velut avunculus Luduig et tu ipse.

Pauper pater, gravisque fuit hic labor et multus!
Hodie bene ago, ut vides, scribere possum
tibi epistolas. Te audivi ipsum dicentem
nolle epistolas. An vere dixisti an falso?

Spero quidem lecturum te has in lecto labore
gravi chartas scriptas: pater, pellege, quaeso precorque!
Lina in ventre excerpsit iam medicus; vulnus dicebat
esse pulchrum sanatumque: mihi iamiamque licere

domum vehi. Quid dicis? Spero te adfore iam semel!
Iam gaudeo die, quo mihi licet adire
ad meam domum: Quidnam est pulchrius domo?
In horto numquam ambulavi: est gravior labor!

Finitimusque meus iterum bene agit, laetatur!
Decrevit febris, quae fuit antea fortis.
Dixit se iam iterum acta publica legere posse,
dixit se iam iterum propinquis scribere chartas.

Sorores, mihi dicendum, carissimae omnes:
Una me iam docuit linguam Philippinam, nam illic
est nata haec soror, Imili - nonne care? - vocata.
Venit nocte ortá nunc vere carissima soror,

fere puella, Veronica est appellata, cara puella!
Epulae hac domo sunt bonae, mihi placuere!
Multa quidem numquam accepimus, mihi fatendum,
multa autem nolumus, nam venter non toleraret.

Adsuefactus enim nullis vel minimis cibis
evomeret certe nimias vel gravissimas dapes.
Iam, pater, cibus venit fumans, sororibus fertur,
naribus olfacio, mihi finiendum: Haveto!

Carm. XIX, eamus!

Mater ait: properare opus, in montem properare!
Concilia in monte urbis sunt nova promulgata.
Nos intersumus huic sermonifero: Avia, mater,
Et matertera egoque; ego si munera praestem —
Namque brevi celebrat natalem / avia gaudens,
Quod fortasse nepos secum eat in concilium illud —
Si faciam, dicit longe laetissima nostrum!
Atque nui, "Veniam", dixi, "cupientibus vobis!" -
Atque rogo matrem, quidnam iactetur ab illis,
Et mater monstrat, quidnam iactetur ab illis:
De spiritu dicent et de medicamine cordis
Atque animae perdocti; et ego interero excipiens haec.
Non solum audibo, sed etiam loquitarier illis
Audebo; cum percipies, quae dicta, voluta
Sunt, poteris certe comprendere colloquierque.
Mater: "Heus! Thomase, veni, nunc carmina linque!

Carm. XX, ad patrem cubantem

Iam pater haustus erat totius labore diei,
Oscitat atque parat dormitum vadere veste
Mutata velo noctis; rursum sua pandit
Membra et iam iacet et somno se dedit amico.

Ille beatus homo est: manibus atque artubus passis
Lecto, nulla mora est, celerique sopore gravatus
Post nullum spatium ferme requiescere felix
Assolet haud aliter quasi curis procul infans.

Quisque infelix, cui dormire necesse apud illum!
Tempore namque brevi suavi velamine tectus
Stertere occoepit pater haud secus insecet ac si
Serra et constanti motu nemora alta recidat.

Quamquam carus homo, rabie vix abstineas: nam
Volveris in lecto; fremitu somno usque repressus
Hac nunc parte, illa nunc lecti parte moraris,
Cum sopor attiguom molli circumdet amictu.

Carm. XXI, de flumine

Fons scatet, exigua de rima lympha demanat,
gelida iam primum, et cum funditus delapsa
gutta sit, insonat ac dulciter lapides pulsat.
Semper quod destillavere guttae ingentia in saxa,
semper quod constanter rupes a stillis pulsata est,
singularum fluvius primum effecit alveum
guttarum; sic est regionibus algidis altis
translucidus latex nullo paedore inpletus,
ut, cum perspicis, os bene tuum visere possis,
tamquamsi utile speculum habere aestumes.
Ut iam torrentem guttae fingentes relinquunt
regiones altas frigidas et nives habentes,
brevi intrat rivus loca iocundiora fluitque
inter gramen partim, partim per nemora caeca;
quae cum influit, splendorem amittere solet,
et quia frondes densas trabes obtinent, caligo
opacitasque regnant. Sed rivus murmure parvo
sonitu solo labitur. Interdum et flamina possis
audire et ventos patulas movere arbores.
Cuncta silent, taciturnus fluit per lucum quietum;
videntur ripae, herbae videntur cubare,
nullae insint, cogites, quae dent, ut solent, sonitus,
ferae hac in silva; sed solum videtur: nonnumquam
percipi potest pipiare avem, ululare ululam,
perspici potest opacis pinnis volare
volucres, quaerunt quae cunctae solem lucentem.
Parva mora est: radii iam primi ramos perfringunt;
paulatim ridens plagas sol vertit obscuras.
Per arva fluit flumen, per late patentia, ingens,
multi, sicut prius fuerat, influunt perparvi
rivi ac constanter aquas huic flumini addunt.
Ita crescit, augentur aquae: iam regium flumen.
At quies parva fuit: rapidi repente apparent
vertices et magis magis turbatae aquae sunt.
Appropiat flumen magnis angustiis; plane
iam ex longinquo strepitus candentum aquarum
auditur; voranti facile gurgite plenae
incientur aquae: velocius labi attendas.
Atque in angustias influit: premitur statim

non aliter ac tu, cum te foramen pertrahis.
Undae strident; torrens iam non capessere potest
guttas suas; saltu inmenso eripitur solo.
Inque praeceps funduntur stillae, per aera ruunt,
instabiles breviter celeres per aethera cadunt.
Dein fluvius inpulsu ingenti, spumantibus undis,
alveo rursus incursat et magno furore
fertur in stabilem humum; inpetu iactantur
vacillantque fluctus vibrantque tonantque coacti,
constans quasi fulmen horrenda tonitrua mittat.
Prope arbusta tremunt ac paullulis guttis sparguntur.
Ast undae sensim sedantur, flumen placatur.
Expedite ruit, iam amnis per arva perfluit.
Sublimis intrat portas ac transfluit urbem.

Atque in perpetuum fluet: ex stilla in amnem!

Carm. XXII, ad quandam puellam

Sic natura creavit uti te visere possum:
Nil mendacis habet facies madicaminis oris,
Unguine bucca vacat, falso palpebra colore.
Te speciosam interdiu effert arbore passer,
Nocte quoque stellae formam mirantur eburnam.
Femineum corpus, species aequabilis, a! quam
Feminei voltus, facies quoque femineai!
Bella puella, places non ac secus grata aurora,

Quae cum oritur caelo, hominum cor gaudio inplet.
Quo magis conveniat: Es tu pulcherrima florum,
Quae neque defloret neque prato deficit umquam.
Te veneror, caro te - heu! si fingere fas est -

Amplexu molli quam sit iocundum amare!
A, gaudiom, nutat iamiam thalamum esse paratum.
Cara, veni, lecto succumbe atque exue promptam.
A! Sublimis cupido! Ultra non scribere oportet.

Carm. XXIII, de amoena regione (ed. prima)

Splendida collucens sublimi murice vibrat
Lympha atque immenso super aera decidit arcu.
Usque ruentem aquam perfringit lumine loto
Sol radians: varios reiectat gutta colores.

Haec statua spargens media stat cincta lacuna;
Sed levis aura aequor stringit, et paulla trahetur
Unda; superficiem quodsi lapis distinet amplam,
Indu profunda cadit splendenteque sole refulget.

Atque solo nummi cuiusque iacent urbani
Stagni; qui inicit id quicquid iaciendo petebat
Sperat adepturum; mos est et pervetere illo
more lacuna repletur nummis atque monetis.

Interea tangit noctis pulla ala venustum
Quo sedeo spatio. Densae spissaeque tenebrae
Aere me gelido circumdant. Sunt loca cara
Rellinquenda mihi: Iocunde tempora carpsi!

Carm. XXIII, (editio secunda)

Splendida marmoreo collucens murice bullit
Lympha atque immenso per inania decidit arcu;
Guttas usque ruentîs lustrat lumine loto
Sol rutilans varioque colore repercutitur cael.

Haec spargens latices statua stat saepta lacuna,
Cui levis aura aequor stringit; crispatur et unda
Paullula ducitur: Hinc fit, uti stips fulgura sursum
Strata super teretes silices sescenta coruscet.

Hic sedeo regionem ad limpida litora mirans
Nec pote imaginibus saturari pupula capta.
Oblectato animo contemplans omnia versor:
Praecipue alborum delectat lusus olorum.

Interea regio molli circumdata amictu
Vertitur et noctis caligo spissa morantem
Aere me gelido involvit: Nunc linquere oportet
Haec loca amoena mihi: Iocunde tempora degi!

Carm. XXIII, de amoena regione (ed. III)

Splendida marmoreo collucens murice lympha
Bullit et immenso per inania decidit arcu;
Usque merum laticem pellustrat lumine loto
Gemma poli varioque colore repercutitur cael.

Haec spargens stillas statua stat saepta lacuna,
Cui levis aura aequor stringit; crispatur et unda
Paullula ducitur: Hinc fit, uti stips fulgura sursum
Strata super teretes silices sescenta coruscet.

Hic sedeo regionem ad limpida litora mirans
Nec pote imaginibus saturari pupula capta.
Oblectato animo contemplans omnia laetor:
Praecipue alborum delectat lusus olorum.

Interea regio molli circumdata velo
Vertitur et noctis caligo densa morantem
Aere me gelido involvit: Nunc linquere oportet
Haec loca amoena mihi: Iocunde tempora degi!

~~Limpida~~

~~Est decoratus enim lacus~~

Haec spargens stillas ~~lacu~~ stagno stat saepta figura

Illa figura lacu

Carm. XXIV, de patre mixtore

Haud invitus pater coctat; seque optimu(m) fingit
Coctorem. Fateor proba indole praeditum esse,
Nam quia multae escae, quas coxerat, et placuere!
Est autem vitium, valde quod suesse dolemus!

Nam cum stat pater atque culina coctitat incità
Et mente et manibus condit sucosque dapesque
Adsiduis, reputat, misceri quomodo possit
Daps haec, quas quaerit, cum cenis, credit! idoneis.

Sed firmo (mihi opus!): Raro inveniuntur idoneae!
Utitur ille penu cuncta (sic saepius casca):
Omnia, quae sumit, miscentur et inminuuntur,
Quas ob res patrem (sic est!) cratera vocavi.

Cumque parata est puls atque offert ille catilla,
Mater egoque edimus, sed subridemus acerbe:
Ne conere negare placere: hic optimus coctor
Offendatur; at haud volumus, nam scimus sublatum!

Carm. XXV, pater lavatur

Interea pater - exspectans ac corde petessens -
Denique balnea potest avidus intrare. Cupido
Iamdiu eum sudandi cepit; credite! Ferme
Qualibet utitur occasione: ita balnea tum aditur.

Hic pater obtinet egelidas stillas bene olentîs
Atque olea et mater nardos et unguina multa;
In pelvem infundit conferta flumina fumo -
O utinam patrem ne / arbitremini inanem

Qui timidus, tantum studiosus corporis pulchri,
Dat olea stillis, ne mox sulcos rugasque
Accipiat - valide negat et mihi ait rogitanti
Orbiculatam alvóm lymphis fumantibus tandem

Praecipue dudum sudando deminui istam.
Care pater, dictu iocundu' mihique tibique,
Parvum iam ventrem, felix, geris. Deficiebat
Orbis ventricoulosus; redit tua rursus venustas!

Carm. XXVI, in urbem venimus!

Tempore brumali terra gelida nive pressa,
Cum vico matris natali more morarer
Atque sederem aviae tecto fervente camino -
(Vita mihi iocunda videtur in aede moranti:
Suave est igne foco securo saepe crepante,
Cuncta foris cum frigore edaci conglaciantur),
Sic fervore diu emisso e fornace fruebar.
Interea e plena cara avia nava culina
Dulcia poma tulit pretiosa condita lance,
Atque dapes multas, quae denique restituerunt
Corpora fessa, tulit hilaris studiosa nepotis.
Dein, esis epulis, poto fruiturus vaporanti
Auribus intentis percepi aviam narrantem:
"Dum fuimus parvi infantes, ego, Francius frater,
Aequo animo adsiduaque manu collegimus ambo -
Hic tunc ludus erat nobis - pictasque columbas
Atque alias volucres varias et versicolores,
Alituum decus ut rarum veniret in urbe.
Sudus dies fuit unus (bene hoc reminiscor) idoneus
Nobis; nulla mora ac rogitantes ivimus patrem.
Ut pater audivit, metuens sermone severo:
"Unica vos estis" dixit, "ignara periclûm
Spes mea: His igitur dictis parete paternis.
Concedam vobis tam dudum fota cupita,
Alituum decus ut rararum veneat urbe,
Condicione illa: Ne convertamini nocte,
Veru(m) redite hora - tum vobis cedo - diurna!
Neu simulantum hominum grata taetroru(m) loquela
Inliciamini - Quam esset foedum, turpe - Cavete!
Sin amiseritis rectum iter, ne peregrinis
Hominibus vos conmittatis, quaerite promptim
Nescio quem custodem: is vobis diriget iter.
Cumque volucres vendideritis (tendite mentem!),
Ite domum recta: Ne tum remoremini iussa!
Haec vestro penitus mea dicta tuemini corde!"
Dixerat; et madidis curantis figimus malis
Oscula pellaeti. Felix dicebat uterque:
"Optime vir, refero inmensas grates tibi, care!"

nobis nulla mora ac rogitantes voce verendum
ivimus ad patrem, sella qui sedit eburna
publica pellustrans, & semper quae legerat, acta

Ille dein nos dimisit lacrimasque retersit.
Sic nos cessimus inque urbem per hamaxostichon
vecti nobiscum volucres caveis ferebamus
Fulgentes (nunc crede mihi), quas praetereuntes,
Qui digitum obtulerunt, affecti volnere parvo
Admirabantur tamen atque emisse volebant.
Perveniebamusque urbem. Promptimque petentes
Rursum iterumque forum rogitare et quaerere oportuit.
Cum reperissemus, pavidi consedimus ~~propter~~
Numquam visa oculis loca, numquam ita ~~mentibus~~ ficta!
Quisque tumultus adest! Quae, ah! est turba meantum!
Pavimus ~~nos~~ valide, ne non hi sedule euntes
Nos ambo infantes sentirent saepe tumultu
Inmersos. Nequaquam nos spes nostra fefellit.
~~Nam velocius, quam tu, Thomas, fingere mente~~
quis, possessori largis novo aves speciosae
Magnifico nummis volucrum cum laude dabantur.
Pennigeris cunctis a grato emptore receptis
Exsultante domum nunc coepimus pergere corde.
Notitia haec, Thomas, fuit urbis prima beata!"
Desierat ~~cara~~ avia ab his; thea frigida facta est,
Sic contento animo percepi carmen adumbrans.

Carm. XXVII, de matre

Conqueritur mater - foribus pridem data claustra -
Serius quod veni; "Tam dudum te opperiebar!",
Ingemit illa diu, dein dicit prompti(m) parare
Esu(m) mihi, cuius semper me firmat egere.

"Thomas, esse opus est! Sin, demens, esse recuses,
(Lectores cari, quantum gemat, accipite, illa)
Tempore exiguo exiguom decrescere corpus —
Es, Thomase, dapes, constanter vescere cena!

Sin mea iussa, proterve, neglexeris, riseris illa,
(Nonnumquam matri inpudens ridere suevi)
Mox fore tam infirmum duco tete, ut moriare!
Heu, Thomas, ut possis esse, te esse necesse!"

Finierat; propter diu "esse necesse" vocandum
Spirabat penitus - mensae vix indere lances.
Quali de causa me edentem conspicientes
Corporis expertem virium temere arbitrantur?

Mater accipiat hoc carmen dedicatum sibi!

Ingemit mater, seris serius iam foribus datis
cum venirem, "tam dudum", dixit, "opperiebar te!"
Conqueritur paullum, dein dicit statim parare
mihi dapes, quarum semper me firmat egere.

Lectores cari, quantum gemat mater, nescitis.
"Thomase, esse debes! Sin autem esse recuses,
mox fore tam inbecillum duco te, ut moriare!
Ede, Thomase, cibos et vescere dape constanter!

Sin impulsus meos neglexeris despexerisque
iussa, corpus tuum decrescere animadvertes
tempore tam brevi quam credere nequeas ipse!
Heu, Thomase, possis ut esse, te esse necesse!"

Finierat ab his, ob 'esse necesse' clamandum
penitus spirabat, orsa est tandem escam parare.
Quibus de causis me edentem, qui conspicabantur,
corporis roborum tam imperitum aestumant?

(Lindus, carm. XXVII)

Carae matri meae dedicatum!

Lindus

Carm. XXVIII, de matre lustranti

Matér lustráre vúlt, équidém noló,
conclavia omnia; quam semper, pavet,
ne veniam prius; nam, ut dicit mihi,
disturbo oppido opus suum, si
    súm domî, agitáns moléste.

Omnes, qui huic texto, lectores forte,
occurritis, valde ne admiramini,
quomodo mater me, laborans tentá
adsiduá manu, sedulá mente,
    funditus operae inmersa,

si petulanter, heu! audeo venirè,
severā voce tum, gestibus multis,
statim fuget; puto lustrantes omnes
matres, nisi possunt exspectare opem,
    ageré, filio praesente.

EPILOGOS

Quid, Thomase, scribis
modis sine ullis
neglegens cunctas
versus regulas?

Tam procaciter
vesus facis nulli
cedens impulsui
sed quam audacter!

Quibus de causis
quippe timens scribas,
ne, heus! fortassis
versus vitiis
textum omne expleas?

Carm. XXIX, schola iterum coepta est

Schola iam coepta est discipulis
professoribusque et aliis.
Dixerunt non esse magistros
reges scholae - dixerunt recte!
Nam unus liturgiá sacrá
fieri quae solet scholae horá
cum inceperit primá optime
praedicat magister ipse idem
ac discipulos sentire: quo
pacto possim, quae certe accident
diuturno cursu anni unius,
difficultates compescere?
Quaestio eadem pro magistro
et discipulo: nam aerumnas
fert annus, fert et fructus bonos. -
Ante unum annum, recordari
bene queo, erat decretum
difficillimum mihi: sensi
partis infimae mei uri
corporis appendicem: opus
in clinicam quam celerrime
ire. Quam iocundum gratumque est
iam resectam mi appendicem! -
Schola rursus coepta est; quam erant
feriae iocundae mi, gratae
certe omnibus: discipulisquè
et magistris - nunc laborandum
cunctis iterum; sed feriûm
incitát animós dolor. Nam cum
exspectas, multo velocius
praétereúnt pleni laboribus
dies, fáciliús compesceré potes
aerumnas latas longo anno!

Carm. XXX, me saltare necesse est!

Me miserum! Saltare opus est, saltare monentis
Praecipue inpulsu materterae: obstinat usque,
Urgens poscit, uti mox culte denique saltem.
Me invito! Quid enim, quod - sic ego duco putoque -

Sit levius, quid enim mage cum meis moribus pugnet
Aque mea cuppedine abhorreat atque voluntatē?
Illa cupit; quiane illa cupit, faciam haud cupienda?
Sed quid alid restet mihi quam voltum fugere eius,

Effugere etiam alios censentīs anxiu(m) nolle.
Inscia turba est! Tantum non volo: Quidnam usui sit,
Mecum saepe voluto. "Salire est cultus decorque,
Cuique est fas homini!" Dicunt; non credere possum.

Hanc rem in corde ferens tractim depellere conor!
At nunc tempus adest, adeam ut schōlam saliendi.
Est sensus mihi, ceu lapis alvo ferreus insit;
"Obdura!" mater solanti voce locuta est.

Carm. XXXI, iocunda vita

Ad sedendum nato
Ad scribendum vocato
Praesertim in lectulo sita
Mihi placet vita!

Carm. XXXII, de prima hora saltandi

Hesterno die incepta est prima hora saliendi:
Quid vel quîs fuerit gaudīīs, rogitatis, legentes?
Nunc bene (raro!), nunc male; sed prius incipere opto
Meam narrationem, si vos conceditis, paullum;
Namque profecto vultis momina nosse doloris,
Quîs dolui, sicut attendes quilibet, ut qui
Convenit incertos numquamque locos temptatos.
Iam ferīīs queritatus rem eam: matertera autem
Mi gravibus verbis attendere opus persuasit:
"Valde oberis, Thomase, tibi, nunc ni saliendi
Scholam attenderis: namque hodierno tempore debet
Quisque quidem paullum saltandi posse, cuicumquè
Publico est cordi - seu nuptīīs intereris, seu
Noctibus saltandi - parere: Hoc ducitur omni
Fas homini esse; tibi, Thomas, et poscitur haec res!"
Prōpitiis monitis conmotus cedere debui
Inpulsu (Sed vos non creditis, quale mihi sit
Hoc momentum): Inquam, cum oculis responsa severis
Exspectaret, ei: "Si vis me attendere, cara,
Temptandum mihi erit, mihi erit (promitto) eundum!"
Sic grave promisi suadenti illuc austerae.

Interea promissi illius oblitus peregi
Feriûm tempora: Sic iocunde tempora carpsi!
Pollicito mihi, quando schola inceperat, aspra
subrepsit scīentia: me attendere oportet!
Atque dies propiat invito mi atque molaris
Brutus iacet, nulla qui possit inditus alvo
Secerni arte: angens me presserat usque molestus!
Supremis horis, quae restabant mihi grato,
Supremis horis utebar corporis cultu.
Balnea enim adivi: Sicut pater actat abunde,
Corpus lavabar oleis olfactu olentibus dulce.
Dein rasit tenuîs barbae nōvacula crinîs
Excita quod manus est, nimia, iners, radere tempto
Spuma. Quid fuerit, vos certe fingere quitis!
Dein cito pertrepidus vestes modo matre politas
Indui: Tempora nunc iam mi suadent proficisci!
Festino ad bicyclum, conscendo, devehor illinc.

Ei mihi, quid sensi! Lapis ferreus insitus alvo
Supprimit ah! animam atque augeri et cresse videtur!
Obstipuere pedes, membra omnia conglaciata,
Ac rigidis stupor infuit artubus intestinis.
Sed quid alid facerem ac iussis materterae oboedirè?

Interea caelum amisit splendora serenum,
Sol moriens tandem est caecis depulsus tenebris.
Appropiavi scholae: Iam iuvenes procul aspexi,
Ut pubes foret omnis et acceptus, fumantîs.
Languida laxaque turba! Locuti tam insipienter,
Prae scholae portis, heu quam steterunt sublimes!
Illis misceri voluit matertera memet!
Denique me advecto - iuvenis iam crebra videtur -
Dum valvae obductae introitu tandem reserentur,
Non dudum opperti insulsum leve sic leve dicunt.
Conclavium amplitas speculis immanibus aucta
(Nullis parva foret) - sed duplicata recessus
Instar visa mihi similis ingentibus aulis.
Ordine correcto consisti illoru(m) magistra,
Ut nova discipuli sibi denique conspexerunt,
Iusserat: O quotiens pravis de moribus eorum
Iure magistra querebatur: Hodierna iuventus
Nullo praedita sic! nullo constructa lepore!

Atque ita invitus multis tamen horis fungor -
Ast arbitrantur me amici indignabundum:
Iure putent: nolens sum indignatione refertus!

Carm. XXXIII, rursus de patre

Pater, vir vehemens, nullo respectu
dormientis, semper ut semper solet,
in meum cubiculum luna fere
plena - aurora nondum caelo dispersa est -
strepitu magno pedum intravisse,
deinde, ut iam non dulce dormire quirem,
adsidue sonitus manu fecisse,
pulla carbasa dormienti cara
fenestrae atrociter scidisse ferme,
ceu neglegeret somnos captitantem!
Caeco fartus furore consurrexi,
caro, dulci sopore, pro! depulso
invadentique sponte haec obieci:

"Pater!!", non sine veneratione,
quae decet filium vituperantem,
iam coepi; sed alid iam meditabar,
convertens gaudium patris in meam
huius indignationis matutinae
- denique ut desisteret - a! victoriam.
Rabie igitur compescenda iraque
summo respectu et dilectione
"Care", inquam, "gratias tibi refero,
quod maturo tempore me excitasti —
Nullius strepitus adhibitione
sane quidem, pater, opus fuisset!"
Simulansque: "Nam dudum vigilavi
versiculos nonnullos mente volvens."
Exiens prius haec stupenti adieci:
"Certe - nam olfacio - cenam parasti!"
Ac quamquam sine invitatione
plenae accubui patris deliciarum
mensae, quam modo primus surgens nostrum
tantumtantummodo sibi parasset.
"Nonne comederé mihi vis?" patrem -
ad cenam denique - ilico frendentem
compello. Magnopere sum gavisus,
quod contigerat tam opulenta cena;
(nam deses aliter talem non parem) -
Adsedit pater exin vice versa.

Carm. XXXIV, ad naturam

Cara mihi natura fave puroque vigore
Pectora comple: nam obiectis defendere patris
Est opus me; qui quippe vocet memet simulantem!
Nunc quod semper mi obicitur, depellere oportet

Versibus his. Sit, sit deposta haec languida imago
Vah! morbos simulantis. Patris sententia falsa est!
Confiteor - libuit mea scribere carmina commodè:
In tabula lectove meo mea carmina volvo,

Cum pater indignans duros sufferre labores
Debeat: Anne opus est factis venia rogitanda?
Pro! Nullo potis ille modo comprendere memet.
Sic, natura, aliis me dotibus adfecisti,

Et grates refero inmensas felix modo qui sim!
Paullula dormibo et tacito velamine tectum
Venti deliciis tua me iocunda venustas
Oblectet, uti dein miranti mente quiescam.

Carm. XXXV, In silvas, pater, et ...

In silvas, pater, et dumeta frondibus plena,
Ut videamus nympharum secreta domosque,
Nympharum, tremula aetherii quibus lumina cantus
Fistula divini divino selicit ore,

Impletura sonis loca dulcibus atque canoris,
In silvas, pater - hinc campos lateque patentîs,
Ut tepidis auris conmota vacillat avena,
Ut melius sol supremum purumque ruborem

Cernitur effundens — Amplectitur artubus fusis
Aethera, iam moriturus tenebras effugit algus,
Terrae quae merita pervolvont membra quiete;
Rusque, ubi mugitu perpellunt arva iuvenci,

Et modicis pascuntur oves in collibus herbâ,
Acribus dum pastor pecudes oculis tuitatur
Flebile arte canens modulansque harundine carmen -
Qua, mens immoderata, via avehis delirantem?

In lectum et cubitum menti sedandae eamus!

Carm. XXXVI, ad patrem

Rustici nidores memet circumdant, cum festino
Ad meam aviae domum, dein in hortum floridulum
Pulchris cultis patris manu decoratum arboribus
Delicias; libenter illic [illegible]

Dies multis iam peregi, dies multos peragam,
Quamvis pater me arbitretur nolle secum eo vehi,
Quamvis pater semper putet desidem me ibi fore,
Nil facientem, sed cubantem,

Vel, quod maxime ab eo abhorret, versus, ut dicit ipse,
Factitantem inutiles vel suavîs flentem elegias -
Nec comprenderê poetas nec poeseis ille quit,
Pro dolor! Ille pauper homo!

Carm. XXXVII, ad matrem

Mater, uti semper solet, ore acri atque monenti
Me properat: properare opus, in urbem properare!
Nam datur aspectu salsi comoedia *
Gratûm aspectu hominum. Nunc tempore tempora currunt:
Iam sedeo domi intus, nunc iam carmina volvo,
Nunc mater, modo etiam pater: "Heus! Age carmina linquas!"
Conclamant ambo "Venio, venio"que parenti
Atque voco plenae bene olenti oleo genetrici.
At mater clamans: "Veni, ah! nunc desine nugis!"
"Iam venio" frendo matri/attamen ore iocoso.

(* vide adnotationes)

Carm. XXXVIII, ad meam magistram Clementem

Cara magistra mihi, quae Romanum docuisti
Sermonem; felix, discere quod potui!
Carmine complebo (quaeso, nisi contigit aeque,
Conato ignoscas et salebram et vitia.
At nihil impediat!) veraci puriter auras,
Atque mera laudê scilicet ora sonent!
Sic grates refero immensas, cui dicere fas sit:
Nos sumus Romani, Austria quos genuit.

Carm. XXXIX, Hymnus ad Solem (Transl.)

Praefatio

Mei patris Hymnus ad Solem, quem non multo antea mane, ut dixit, mirabili mentis indole atque inspiratione quadam inusitata composuit, mihi ita placet, ut in linguam Latinam sine ulla variatione convertere iuvet.

Hymnus ad Solem

Sol, care pater!
Abs te pariebar, ad tuam revertar domum;
Meae terrenae praesentiae faveas atque indulgeas,
Meo tramiti facem praeferas - ducas me
Atque regas, ne aberrem!

Tuo calore complear a primo ad usque supremum;
Quodsi tua me omnipotentia iusserit de ea terra
Excedere, quaeso,

Tum mihi unum radium mittas, uti te
Rursum reperiam devotione atque oboedientia.
O meam lucem,
O cunctipotentem gubernatorem!

Carm. XL, ad Deum Dominum meum (Transl.)

Praefatio:

Mirabili patris ingenio atque sensu modi hymnici egregio conscriptam precationem in Latinam linguam transtulisse me magnopere iuvat.

PRECATIO

Domine, tuam me patiare praesagire sapientiam;
Da mihi potestatem minimae quidem
Tui magni mundi
Partis videndae.

Monstra mihi viam, mi Domine, qua eam,
Ut in tuum perveniam regnum; atque
Succurras mihi,
Si dubium ingravescat, si animi infractio
Me supprimat.

Quodsi languidus de recta calle excedam,
Quaeso, tuum mihi mitis mittas spiritum,
Quo facilius rectam rursus reperiam

Viam ad te - meum Dominum Deum!

Carm. XL, Epigrammata varia

Pergimus in montes; alias mea prisca voluptas
Me capit: haud hodie! Sentio deficere!

A crudelis amor quam primo dulcia profers
Lumina quantaque dein poelia ferrea erunt!

Meo linguae Graecae magistro natali die eius conscriptum et dedicatum carmen:

Laetitia repleare, magister care, perenni,
Cui Deus indulgens omnipotens faveat.
Namque tuum celebras natalem - feste dierum!
Gratulor; et sospes sis maneasque Deo.

Carm. XLII, cara puella

Quam voltus fuit ah! pulcer et haud unguine inutili
Sparsa (falsa cupido speciei cassaque vanitas!) -
At mi visa bona dulciter es par dea Naidum
Pulcritudine (sic me iuvat) et candida bracchia
Cara mamma mihi forma mera et aetheria effigies.
Sic ardore nimis carus amor me adficit; heu, quid est?

Carm. XLIII, qualis voluptas?

Cara mihi natura fave neu pellice amoris
Lumina; nam fieret, suetae vis mentis hebescat.
Curas corde meo et cruciatus pelle doloris,
Quem mihi vana dat et vere spes praebet inepta.

Spes (humana quidem) cor nutrit grata puellae,
Cuius amoena figura - Venus, tibi quanta potestas! -
Me capit et mentem mulcet nec parcit inermi.
Quanta sublimis adest formae aura ac quanta venustas!

Aetheria effigies et candida candida dulcis
Dulcedo faciei ita mi placet atque vacillo
Ebrius exsuperatus amoris fulmine flammeo.
Sed quid id est? Nondum vere me tale tenebat

(Credite sollicito!) me tale suave periclum.
Sensibus atque animo excrucior; succurre faventer,
Cui dabis auxilium dulcîs res corde repellens
Atque iterum instaurans soliti mihi munera pensi.

Carm. XLIV, Quantum aerumnarum!

Desine, cura, mihi tractim problemata ferre;
  Sed secede statim mentis iniqua quie,
Cuius ego indigeo miser atque requiro vementer:
  Motum animi puncti mitiget illa quies!

A discendo nimis (non creditis) ulcera traxi:
  Successus adfert ulcera cura nimis!
Non ego poscor eas aerumnas dico magistris!
  Certe non! mea mens aspera flagitat haec.

Quid faciam nisi ferre nimis nisi ferre salebras,
  Quae mihi exstiterunt, quîs ego excrucior.
Sic ea tortura in praesens taetra ulcera ventri
  Inserit. Ast alvo, Musa, repelle mea

Ulcera et appropia mihi. Versus inde tenellos,
  Qui dein instaurant lumina clara mihi,
Qui dein restituunt animum tandem aequiperantes,
  Cui, mea Musa, adsis atque, precor, faveas.

Carm. XLV, de amore

Dulce iubilans et amore captus
In odorato iaceo cubili
Palpitantibus teneris lacertis
    Vinctus amicae.

Delicate ludimus et vicissim
Iam iocos lasciva solet movere
Lingua suavis garrula basianti
    Lene puellae.

Quam sublimis paret amor amanti:
Cara tractatur Venus et sagitta
Subdole missa puero tenello
    Laedimur acri.

Carm. XLVI, hilaritatis imago

Flumen in silvam intrat et hinc colorem
Splendidum amittet - deerunt sereni
Solis excussi radii, subibit
Frigidus aer.

Illa, quam fingit mea mens alacris,
Silva repleta est requie: modo aura
Arbores movere videtur alsas
Flamine miti.

Hic volo sedere sub arbore alma
Atque iners securus ero sub umbra
Dulce murmur excipiens fluentis
Auribus amnis.

Carm. XLVII, Ah! crudelis amor, ...

Ah! crudelis amor, quam primo dulcia profers
   Lumina quantaque dein proelia ferrea erunt!
Iam non illa cupit petulans parere marito,
   Ut bona sit mulier, cara sit, ut deceat,

Spernere sed praecepta viri placet atque recusat,
   Quae iubeat coniunx pensa quidem facere.
Cara fuit Venus et quia se praestabat inermam,
   (Nulla resistendi copia erat tenui

Quam dare verba viro irato ridereque iussa,
   Iam quae paeniteat pendere dura virum) -
Non igitur dominae speciem tutudisse tenellam
   Nec clamore auris perstrepuisse iuvet,

Conterere at vitam placeat concordibus unis
   Et quia vita brevis sit maneatque levis,
Vivere pace mera, promptim finire querellas
   Fas sit et illi iterum dicere: "Cara t' amo!"

Carm. XLVIII, de Pace

Cara mihi Pax alma veni teneasque coronam,
Qua tuus indulgens induitur Genius:
Mane mane iuture Geni parsure popellis,
Quos rigidae terrent proelia militiae.

Ah! crudelia bella feris induta tenebris
Lumina tecturis tristitia tacita
Laetitaque carens Discordia cedite tandem -
Lumine fulgenti praedita, Pax, venias!

Tum cedent luctus, dolor, anxius angor abibunt,
Nubila disicient agmina luce mera,
Agmina clara, chori celebrantes, turba superna:
Gaudia laturae sint valeantque tuae,

Pax, face salvifera collustrent arva repleta
Sanguine (sic bellum polluit horribile)
Turmae: restituas vivendi lumina clara,
Vivere concordes, vivere pace doce!

Carm. IL, idyllion

Serena tempestas hodierna me
Compellit, ut plagas bene conditas
  Tantum mihi notas revisam:
    Laetus eo comitante Musa.

Invitat illic trabs nemoris decus
Ornata pulchra fronde - ita temperat
  Splendorem ocelli celsa caeli.
    Tegmine tectus, amictus umbra

Cantare flagro: care Geni, veni,
Accede leni lumine prospere
  Mentique flammas adde puras!
    Candida, fer mihi dulce donum

Ah! Cara Musa, mi appropia et levis,
Iutura, gratus spiritus indere
  Solebit exspectata tandem
    Indole carmina, molle munus.

Carm. L, ad caram puellam!

Ah! puella splendida caritate,
Mi places, puella puella bella!
Universa imago deae venustae
Qualis oberras.

Et, sacrum desiderium, tenes me:
Nam mera libidine suscitatus
Conflagro: suspiro sinu, tenella, in-
cumbere posse.

Atque pura laetitia vicissim
Basiemus te usque gemente, cara;
Tune, Amor, promittis? Ades! Venique,
Musa, poetae!

Carm. LI, ad meum creatorem

Gratia, dive, tibi, cui copia facta poetae
   Carmina voce mihi composuisse mera;
Praesertimque tibi grates sint, Musa, perennes,
   Cuius amor vatem nutrit: et ipse valet
Praecipua chordas - vires donante Camena
   Pectora flammantis - arte sonare lyrae
Pollice pellenti; cithara cantante libenter
   Carmina caelesti lumine composui.

Carm. LII, ad meam puellam

Uror et vesanus amore puro,
Cara, quam suspiria alo et recondo,
Feminis dignissima pulcriorque
    (Crede videnti!)

Omnibus praestas facie tenella,
Atque voltus aetheria repletos
Nube candida memori perenne
    Corde reservo.

Nunc tuam palpare cutem libido
Quanta praebet gaudia non loquenda;
Mi tuas mollîs liceat papillas
    Tangere lene.

Id mihi contingat alumno Amoris:
Te tenere, bella, decet decetque
Me te amare: fama loquax severûm
    Nulla putetur!

Carm. LIII, Aegrotus atque morbidus in toro...

Descende caelo, Musa, veni mihi,
Veni poetae, qui miser in toro
  Iacet nec ullis adiuvatur
    Deliciis et hebet vigore.

Succurre tandem neve neges mihi
Tam dulce donum! Deprecor: acria
  Mutes odoro nectare inde
    Ambrosiaque fruar suavi.

Carm. LIV, de certamine Musae

Barbito contende, superba, mecum
Et fidîs inpelle manu perita:
Tum libenter vincar et orbus ore,
    Musa, tacebo!

Ah sono, divina, tua stupendo
Voce quam vesanus inebriatus
Nutrior silens (male caute!) mente ad
    Sidera lata.

Sospes ascendisse loco remoto
Quoi licet quem pellicit alma, diva,
Lingua, quoius participem canorae
    Musa creasti.

LV (translatio eclogae patris)

ECLOGA PROSAICA

Nox adhuc tellurem et cuncta animalia casto complexu condit atque molli sopore sepulta virens vita iacet. -
Sed primi diei reglescentis albores iterum studia sedula nuntiant; Aurora priusquam sol placido terram lumine basiat, voluntatem creatoris fulgore clementi adornat: perenni diei et noctis vice vivatis, ut opus caeleste meum cognoscatis! Nempe terrenae vitae commutatio convenit, at numinis divini aeternitas est.
Iamque validis radiis solis Aurora pellitur: omnis animans, cumque experrectus sit, rursum lucis donum studet usurpare -
Item fecere Daphnis et Chloe: Molli somnó fugato paullulum Venere fruuntur, antequam ovilibus pastores operam dant.
Soli tepenti obviam, praeter murmurantis rivi ripam, seduli per prata virentia, per prata fulgentia balantibus ovibus atque raptim saltanti turba pullorum comitantibus vagantur.
Complures mansueti canes, homini oboedientes, velociter gregem circumvolant, necui pecudum contingat, uti lactentibus herbis, gramine fluctuanti, viridi prato pellecta agminis tutelam fugiat atque ita ambigua obscuritate, adiacentibus silvis, forsan panthera, forsan puma lanietur. -
Iam sol medio moratur axe, sublimi caelo, iam turba gelidam quaerit umbram, quam procerae quercus praebent, iocunda silva, ubi etiam frigidus rivus claro, lucido, scaturienti latice libandas stillas tribuit. -
Dum pulli esurie ducti matrum ubera sugunt, Daphnis et Chloe sinceras bacas concerpunt, quae innumerabiles arbusta rubello colore distinguont.
Hoc ritu Naturae mammis nutriuntur, felices, teneri, securi; Amoris deliciis indulgentes horas carpunt, donec sol vergat.
Susurri venti leniter vesperum adducunt, auram praesagientibus animis, atque cicadis stridentibus crepuscula noctis involvontur.
Arte complexa manus consistit, claro lumine tremebundi foci fota et protecta; interea diluculum tenebricosae nocti cedit -
Sub firmamento, sub lucidis stellis omne dormit animal, dulce dormit, dum novella Aurora purpureis digitis temptabunda terram contingat.

LIV

Ut tenebrae fugere repulsae lumine Eoi,
Dulciter irrorans caelos Aurora rubore
Fundit agros camposque radis super aethera netis.
Nec mora, fulgenti pellustrans templa superna
Lumine concelebrat nocturnas solvere nubis,
Tergere sol gelidum parat almus denique rorem;
Atque mera involvens tellurem luce cubantem
Excitat usque gravem somno et velamine inundat
Vitali felix regionem, agrestia rura.
Lene beant Zephyri campos ventique tenelli
Hos comitantur et arva suo cum flamine molli
Inficiunt tepidique calore animalia mulcent.
A, celebrate diem, Nymphae, celebrate canoro
Lumina clara poli, mea rustica numina, cantu!
Rura canatis, ubi valdio bove sedulus agris
Infindit sulcos et mitia poma colonus
Educat ac paulla contentus fungitur olla.
Rura, ubi pascit oves et pastor harundine dulci
Dulcis adducit cantus et pectore nutrit
Ardorem immensum, formosae Phyllidis ignem.
Atque nemus cantetis, ut alsis conditus ulmis
Rivus in alveolo parvo plenoque lapillis
Labitur: usque undae placido cum murmure manant.
Saepe meat Corydon ardenti pectore silvam
Phyllida visurus suavem et fruiturus amore;
Quot perceperunt carae promissa puellae
Pignora summisso pueri virgulta susurro!
Qualia singultant iuncti bona basia dantes!
At nemus amborum secreta ea prodere nescit. -
Quale capit desiderium mea corda morandi,
Vivere quale cupitum illic et tristia vitae
Munia neglegere obliscenti aerumnas duras.
Cari campi, grata prata et agri dilecti!
Vos iterumque iterumque beato corde saluto:
Sic, mea Musa, mera bona pascua laude loquare!

LVII

Ut rubens Aurora polo coorta
Luce pellit purpurea tenebras
Atque caelum fundit et arva rura
    Divite risu

Excitat camposque serenat udos,
Non mora est, et sol placido nitore
Orbita perenne pari liquentem
    Aethera lustrat.

Leniter terras Zephyri vagantur
Et susurro murmure mitis aura
Bracchia et crinis pueri venusti et
    Pectora palpat.

Nunc oves pastor sua prata ducit;
Donec hae pascuntur, harundine ille
Dispäri tibicen agrestis arva
    Dulce sub ulmo

Tinnulo canore iacens adimplet:
Quantus ardor, quantus amor puellae
Phyllidis carae lepidaeque Thyrsin
    cepit et urit!

Quale mi desiderium virenti
Colle, molli gramine, tutus hospes,
Otiosus carmine bella rura
    Concinuisse.

LVIII (variato metro Sapphico)

Ut rutila Aurora in polo coorta
Luce purpurea fugat tenebras
Atque caelum fundit et arva rura
    Divite risu

Excitat et campos serenat udos,
Non mora est, placido nitore Phoebus
Orbita perenne pari liquentem
    Aethera lustrat.

Et Zephyri lenes vagantur orbem
Atque murmure vocali volantes
Bracchia et crinis pueri venusti et
    Pectora palpant.

Nunc pecudes pastor per arva ducit;
Donec assiduae pascuntur, ille
Dispari tibicen harundine ulmi
    Dulce sub umbra

Cantat et agros voce pulchra adimplet.
Quantus ardor, amor quantus puellae
Phyllidos carae lepidaeque Thyrsin
    Cepit et urit.

Quale mihi cupitum colle molli
Tutus hospes in herba fluctuanti
Otiosus carmina bella ruri
    Concinuisse.

LIX

Dulce raptus ecstasi
Iaceo et orbus ore
furoris vincor emphasi
Divini captus amore.
Ut haec mihi paret viva
Picturaque trudit ocellos,
Immensa, et luce priva
Aufert paene tenellos!
Quod venit inde cupitum
Deesse et sede pura -
Desiderium petitum
saepe vita obscura -
parte frui caelestum.

Quale nefas homini horas ante!
"Sint tibi vitae semper santae!
Pelle abs te cupitum incestum!"
Vox tonat atque imagine pulsa
Mortali redditus inde vitae
Mente quidem dulcedine mulsa
Me monuisse numen mite
Non doleo: decet me ornare
Vita humanam et versus tornare
Nec maturius ire ad astra,
Sed terrena vereri castra.

LX

Dormire tantum quam cupio imprecans:
Veni, tenelle, funde meum caput
Dulci quiete, cuius almo
Munere lumina egent misella.

Sermone tali Somnus identidem,
Dum lectulo versor male temperans
Inops bonae remissionis
A lacrimis gemituque iusto,

Memor mei sit neve domum meam
Contemnat, urgenter prece languidis
Quidem labellis ecfluenti
Pellitur, attamen ore puro.

Quali solutus denique numine?
An ipse venit? Venit et adiuvat:
Diffusae imagines vacillant,
Et deus addit amoma menti.

LXI

Feles nomine Fuzzi masculina,
Carae deliciae mihi cupitae
Atque pectoris intimi voluptas!
Hem! tuis oculis oblector helvis:
Qualis nigra vibrat meras smaragdos
Luce pupula pulsa clariore.
Dulcis barba sub humido redundat
Naso comptaque pellis ac capilli
Placent auriculae volubilesque
Linguaque aspera, dentis os acuti.
Palpanti tenere statim videris
Toto corpore, delicate, summa
Forma, quae tribui potest, beatus.
Qualis pugna mihi fuit te habendi,
Qualis cum patre rixa, qualis angor,
Ne non acciperem; sed alma mater
Fautrix atque periculo paterno
Spes est ultima fida, cum quid opto:
Sic gravi prece matris adiuvatus
Mentem tam rigidi movere possum.
Laetus accipio pusilla dona,
Te parvo calatho novom repostum
Nutritum prius in casa obsoleta.
Dulcis felis, uti domum peragras
Attemptante pede et tremente nare,
Et ridet pater et sinu recondit.
Rideo tibi, Fuzzi: totus ille
(recusans prius) irritatione
Dulcitatis et elegantiae nunc
Quam te captus amat fovetque bellum.

LXII

Umbra fuit, qua calcavi pede devia fesso
Perdita iocundae conquirens dona quietis.
Qualis erat nebula et mihi inexsuperabilis horror
Dirus et anxiferae torturae mentis inermis:
Cor mihi praetrepidat divolso pectore quassum
Aegraque sulfurea mens est infecta mefite,
Quam lacerata cavo tellus exhalat hiatu.
"Cedite", clamavi, "circumvolitantia" voce
Territus inde macra "flaccenti cedite monstra!",
Viribus extremis tempto deflectere gressum
Fatale inceptum fugiturus; at ultimus angor,
Qualia terrifica adducit miracula imago,
Denique sopierat mentem voltumque tenebris. ---

Languidus exiguo post tempore tempora bruta
Sentio et exsurgens titubo male sobrius ipse
Palpebris laxis et mente gravedine fusa.
Supremo nixu mea lumina tollere demum
Contigit; et nebulosa queo loca cernere voltum
Nube recedenti velatus: Liquida nubes
Me opperiente (pati mihi mens fuit) alba retextast. -

Sed quali, felix iterum, mirabile fictu,
Numine, nescioqua clementi sorte solutus?
Quae via, quisve error, quid inevitabile fatum,
Nescio, num fuerit dirus sopor, anne facultas
Viva requirendi veri, stragisve futurae.

LXIII

Organi ut voces celebres feruntur,
Et mele oblectant sonitu canoro
Musica attentae auriculas catervae
Monte Casini,

Quale me desiderium tepentem
Cepit, ardor qualis adussit inde
Pectus infirmum, teneraeque flammae
Corpore toto

Defluebant, atque cutis flagrabat:
Pyrrha, dulci deliciae figura,
Crinibus flavis, lepida statura,
Te simulatque

Dulciter ridere mihi aestuanti,
Candido obtutu mera dona voltus
Mi dare aspexi, vehementer igni
Sospite corda

Tu cremasti fulminis imperita:
Usque sic uror grave: quando rursum
Te queam vidisse, puella amata,
Nescio tristis.

At lyra solaciolum pusillum
Flebili versus cecinisse praestat:
Inde subtilem, mea Pyrrha, formam
Carmen adumbrat.

LXIV

Veni precamur ver tandemque pelle
Forti pruinam luce novo vigore
Sudique sol poli pia calore
Lingua vocatus rursum fulge belle!

Et basio miti cita tenelle
Quieta prata et arbores colore
Adhuc egentis - atque aves canore
Cantetis, ore suaviloquo popelle.

Nunc nunc ades desiderata veris
A vate puro algore pertinaci
Torpenti et hora inunda caritate

Iam gaudiis - sed saltim - corda seris:
Et mente dulce cantabo sagaci,
Tua refectus inde amoenitate.

LXV

Litteris valide tuis levatus,
Ut poeta novos, novis necesse
Formis atque modis studere memet,
vere gaudeo gaudeoque, amice,
Tibi carmina, quae dedi, placere.
Parce versibus his, scio, impolitis,
Cum semper labor imminere multus
Sedulo soleat mihi studenti
Ac tempus fugiat negotiosum.
Attamen celeri tibi volatu
Haec annuntiet inde me valere
Ac valde studiis datum papyrus,
Ut mihi tua te laboriosum
Esse dixit - imaginare contra:
Quam dulce esset in uvido sedere
Rore caespite, solis et recentis
Mitibus radiis dein feriri,
Leniter Zephyri tepentis aura
Mulceri faciem et vagos capillos
Concinnoque levarier colore:
Flebilique lyra merum poema
Cantavisse modo tenelliore
Non nobis placeat? Valeque, amice!

LXVI

Heu doleo, mea Musa, male sto, rebus iniquis
   Quid mihi perpetuis tortibus excrucias?
Quam mea vita fuit gratissima, crede, mihi dum
   Prisca valetudo floruit usque mera,
Vel quaecumque fuit, melior tamen et stabilita,
   Haud similis, foede quae incidit, anxiferae.
Me miserum! Quare mihi tam gravis angor anhelat,
   Cuius ego causam nequeo concipere?
Torqueor hinc illinc immensis punctibus actus,
   Nec scio quo tracter: qui mihi finis erit??

LXVII

Quid est, miser Thomas? Quidnam tremis
Anima vacillanti, flendo prius,
Fueris cum salvos, laetitia mera,
Puro vigore, gaudio -- heu heu
Iam nunc non est -- non est, ais?
Desiste flendo, timide! Cogita,
Fueris prius quo terribili statu,
Quo nunc! Beatus es! Nunc desine lacrimis,
Pereat cunctatio, vigeas, puer!

LXVIII

Incipe concinuisse; diu mea Musa tacebas,
   Perpetuis foedi tortibus acta doli.
Ast ubi nunc degis? Rursus viget ille poeta,
   Atque valet scriptis munera ferre tibi.
Dixisti vere rursus valuisse misellum
   Qui miser in lecto iugiter accubuit. --
Arbitror hoc falsum esse - vigor novus intret in artus
   Tantum, si tentes sponte valere tua!

LXIX

Pyrrha, tete depereo puellam
dolore
Et mero dulcique cremor amore:
Quam cupido suavis inundat artus
Fulgure flammeo.

Sic nova libidine anhelat ardor
Pectus insuetum; video, quod ante:
Fervido poemate me tenellam
Concinuisse.

LXX

Nova Pyrrha me delectat, nova Pyrrha animum ciet,
Mentemque pungit
Usque novis, usque gravioribus stimulis,
Et acriore plaga
In perpetuom simulacrum suum meo cordi inpingit,
Nescia quidem.

Quali consumar fulmine, qualis flamma
Totum perurat crudeli, crudeli, sed optato tamen
Impete corpus,
Illa nescit, neque scire fas esset misellae.

Luges, cara, inexplicabili dolore, sicut prius ego;
Sed dolore, quamvis pauper, augeris,
Crescitque venustas,
Quam ego impotens identidem admiror,
Triste gavisus.

An mihi licet? Te cognoscenda prohiberi fortasse praestiterat?
Nescio diiudicare,
Nec cupio, nec opus est: nihil erit nisi admiratio
Mutua amicitia consummata.

Quare te bacchor, te pascor, te flagro,
Te quidem integra!

LXXI

Pruinosis tristi dispalor arvis
Et spiritu considero demisso.
Vepallidis et maestis aequos larvis
Asto naturam mirans corde fisso.

Aurora rosea verberi concedit
Graviori et altius volans refulget
Radis serenis - ecce, dulce sedit
Faciei ventus lacrimisque indulget.

Mirabilis sensus subito divulso
Potitur corde - scilicet, cupido
Inermem tangit - heu, decore pulso
Quid esses? Propterea cedat libido!

Deliberanti sic animus tremescit,
Ah! quando rursus mi belle clarescit?

LXXII

Tranquilla pax, venire iuvet meae
Menti merique balsama cantici
sonosque Musarum canoros
Adde mihi simul helluanti.

Infunde tandem, care mihi sopor,
Cum cantibus puris iaceo satur
Et lectulo supinus inde,
Paupera membra quiete leni. -

Ah! quid, quid est? iam iamque remissio
Retendet aegro denique nervia:
Pictisque perspergor figuris,
Languida fit ratio occupata.

LXXIII

Quid mihi? heu heu! mea Musa, tandem
Da misellulo, quoniam dolere
Iam sat esset - ast anima caduco
Pondere laesa

Certior duret dolor atque perstet:
Qui solubiles revocentur artes,
Dulce spiritus medicamen acti
Solvere fluctus?

Fluctibus nam namque teri superbis,
Qui nihil possunt ratione pura
Dirigi decente via nec addi
Mentis habenae,

Sensibus fissis ut alatur error:
Carbaso obscura tegier vacillans,
Nec furore cordis agi sublimi,
Vatibus ardor,

Nec mero maerore anima refundi,
Flens uti levetur aqua lavanti -
Ast hebere languidus interire
Vivereque unae.

Quare ades iuvans, mea Musa, manco
Et favorem mitte mihi negari:
Sic amati mi fociles amorem
Luminis, alma!

LXXIV

Quid mihi fit? Nescio dicere - tam difficile,
Tam inexplicabile volnus,
Quale numquam videre iuvet,
Videre toto corpore, tota mente sentire,
Quale at tamen, cum quando attigeris,
Effascinare, irretire, captum tenere,
Nec effugituro parcit, volenti quidem.

Quid mihi fit? identidem rogare debeo.
Languidula vis, vetita - triste gaudium,
Dolor extremae laetitiae; moriente
Natura nasci libuerit?

An licet tangi, cui renegatae subdor
Amore arsuro simul suffocato?
An praestat deprecari, illecebras nesciae
Aversari, quam ignotus spiritus afflat
Velamine dulcedinis amictam - -
Sentio periculum.

Quae mihi possibilitates restent?
Quid faciam? Quid doleam?
Quare dolore offuscari pullo,
Sole illuminari claro,
Vinci,
Premi,
Subdi, dulce?

LXXVI

Luce nova fundi meroque cantu
Atque dulce nova vita renasci
Fertilis cantare sonos serenae
Subditus arti –

Qualis erat dudum mihi voluptas
Et desiderium labante corde.
Nempe 'eris' dixi 'mea vita casta
Praedita veste'

Nescius et dari fuit tenebris
Sors mihi misero - sed quale numen
Elicibat inde misellularum
Carmina vocum

Fulminis attacto dolore duri:
Tempestas oritur flant flant procellae
dissipant leges - ita ali iuvabat
Ordine rupto.

Tempore placabantur errabundi
Turbines animae; pudor pudice
Antea brevisque procella deinde,
Cedite tandem! -

Luce nova fundor meroque cantu
Atque dulce nova vita renascor
Fertilis cantare sonos serenae
Artis alumnus.

Sophoclis
OEDIPUS REX

(Translatio Lindi)

OE. Cadmi novella stirps veteris, cari,
quibus ex causis his sellis sistitis
ramis supplicibus exdecorati?
Simul urbs ubique turibus plena est
et cantibus sacris et ingemitu.
Quod ego percipere non aliis dignans,
cari nepotes, ipse eo veni,
celeber sic notus omnibus Oedipus.
Sed, o senex, mi da, quia dignus es
iis loquela, quae mora sit vestra!
Timetis an exspectatis opem?
Volo modo omni vos iuvare; nam
sensu sine forem, ni miserarer vos.

SA. Sic, Oedipus, terram regnans meam,
vides, aris qui sedimus tuis;
pars, qui patulam nondum possunt viam
volare, et alteri graves senecta,
sacerdotes (Iovis ego) iuvenumque
lecti; sed altera plebs decorata
foro sedet ad Palladis fana
duplicia et ad cinerem Ismeni vatis.
Namque urbs, ut ipse percipis, nimis
iam labitur iam non caput potest
levare de profundis rubris undis,
periens gemmis gentis feracibus,
periens boum cum grege abortibusque
uxorum; illinc hic ignifer deus
urbem inruens ferit, invisa pestis,
qua fit vaciva domus Cadmi; niger
Dis fit dives fremore et ingemitu.
Non hic pueri sedemus ad aras
et ego, ut te comparemus cum deis,
sed cum virum primorem te putemus
et sortibus vitae et fatis deûm;
qui liberasti Cadmi urbem veniens

vatis dirae vectigale, quod dabamus,
nequaquam nobis instructus neque
doctus, sed auxilio deique ope
nostrae restaurator vitae putaris.
Sed omnibus potens caput Oedipi,
nos t' imploramus ad te conversi,
aliquam invenias opem, sive exaudis
famam deûm, viri seu cognoscis.
Namque his peritis consiliûm video
sortes innatas vere maxime.
I, summe virûm, fac, ut urbs consurgat,
I, sed cave: tellus enim clamat
te pristinae salutis auctorem.
Regni tui certe obliviscamur
prius securi, deinde casuri.
At secur'tate restaurato urbem.
Namque auspicio fausto faustam nobis
sortem portendisti - parem te nunc
praesta; sîs terram ut nunc regnare eam
viris desolata certe mavis.
Nam nil preti vacua ratis aut turris
est, non hominibus inhabitantibus illic.

OE. O liberi dolentes, nota mi
bene nota mi cupientes venistis.
Probe vos scio morbo affectos; sed ut
doleo, pariter nemo vestrum dolet.
Vester dolor nam contingit modo
uni nec alteri, meus ast animus
urbemque meque teque simul dolet.
Quare haud cubantem somno pergravi
expergitis: scitote multa me
flentem et vias errore iisse curae
multas; videns bene quam solam inveni
salutem, eam perfeci: nam gnatum
Menoeceos ad Phoebi aedis misi,
ad Pythicas, ut exploraret, qui
facto verbove hanc urbem salvarem.
Et si diem iam tempore comparo,
metuo; quid actat? Nam diutius
abest, abest decenti tempore.

At cum venit: Tunc inprobus forem,
ni perficerem omnia, quae ostendit deus.

SA. Sic pulchre dicebas et hi modo
Creonta iam venire mi adferunt.

OE. Apollon rex, utinam salvans meet
felici sorte, splendidus ut lumen.

SA. Sed iudicans; fauste: nam non caput
devinctus appropiet feta lauro.

OE. Cito sciemus: haud procul auditu.

O mi affinis, o sate Menoeceo,
nobis venis famam quam perferens?

CR. Bonam; nam nuntio infelicia
si recte eant, et cuncta fausta fore.

OE. Quae verba sunt? Nam non alacris ego
neque formido in praesens verbo tuo.

CR. Sum promptus ad dicendum, sive vis
eis praesentibus audire aut domi.

OE. Dic omnibus, namque omnium dolor
gravior toleratur mi vitae meae.

CR. Edam, quod audivi tunc a deo.
Phoebus iubebat regnator aperte
opprobrium terra quod nutritur
expellamus neu nutriamus inultum.

OE. Sed quo piaculo vertetur sors?

CR. Proscribere vel rursum necem nece
pensare, quando ea culpa urbem vexat.

OE. Sed cuius ostendit fatum viri?

CR. Rex Laius olim regnator terrae
fuit, priusquam huic urbi praefores.

OE. Scio audiens; sed numquam eum vidi.

CR. Illo necato nunc plane iubet
eius necatores occidere.

OE. Ubi terrae vestigium noxae
offenditūr obscurum pristinae?

CR. In civitate hac dixit; si quaeres,
prehendes; ni quaeres, non invenies.

OE. Utrum domi campisve Láiūs
an terra alia isti succubuit neci?

CR. Oraculi adpetens profectus est
nec dein peregri iterum reversus est.

OE. Nec nuntius comesve iteris vidit,
quacumque re scientes utamur?
CR. Omnes necati sunt unum praeter,
fugae qui se mandans unum vidit.
OE. Quid? unum multa cognosci iuvat,
si tantum specula nobis invenitur.
CR. Dixit latrones invadentîs haud
una vi, sed multos, qui eum necarent.
OE. Sed quid latro ille, ni pecunia
corruptus esset, tale suscepisset?
CR. Sic visum; at nemo Laio interfecto
ultor malis in rebus exstitit.
OE. Sed quod malum impedivit, exempto
ita rege, quominus haec patefierent.
CR. Aenigmata cantans Sphinx tueri tunc
coegit proxima omittereque obscura.
OE. Sed haec radicitus ostendam rursus.
Correcte Phoebus et correcte tu
defuncto curas talîs impendistis.
Quare merito socium videbitis
me vindicantem terram hanc et deum.
Namque haud alienis, ast ego mei
ego ipse mei depello dedecus.
Sed quisquis erat necator eius: et
eadem me manu concidere vult.
Illi succurrens et prosum mihi.
Sed quam celerrime, pueri, gradibus
surgatis! Atque olivas tollite!
Alius producat huc senatum urbis
quia cuncta nunc agam; videbimur
aut cum deo felices aut caesi.

SA. O liberi, surgamus; ob illas res
huc venimus, quas denique nuncupat.
Utinam qui Phoebus haec portenta dedit
medicum se praebeat aegritudinis.

OE. Precaris; orationibus tuis -
si verba mea accipere et morbo mederi
velis, opem invenias, mali levamen.
Ego imperitus sum sermonis et
facti, tamen haec dicam. Nam non paullum
ego explorem, non signi quicquam habens.
Nunc posterior urbanus ad urbanos
qui pertineo, vobis ea praedico:
Qui vidit olim vestrum cumque, cui
interfectori Laius succubuisset,
iubeo mihi cuncta declarare. Si
accusationem contra se timebit
facere, is patietur nullum aliud malum
ac terra cedere integer; quodsi
alium quis scit vel altera terra
necatorem, ne conticescat! Hinc
mercedem pendam gratiamque ei.
Quodsi tacebitis, et dictum meum
aliquis amico vel sibimet timens
neglexerit, poenam audiat suam:
Virum hunc veto, terrae quicumque sit,
cuius regnum obtineo et sellam regis,
aliquem recipere conloquive illo,
precationum aut sacrifīciūm
vel aquae sacrae partīcipare eum.
Iubeo omnis pellere hunc domibus, quod est
opprobrio nobis, ut Pythicum
oraculum dei modo demonstrabat.
Sum talis, qualem sentiam memet
commilitionem interfecti et dei.
Sed opto, seu sicarius solus
fuit latetque sive pluribus,
ut infelicem vitam conterat.
Sin ille in aede mea sciente me
habitet, volo, modo quae vovebam eis,
pati; vobis, ut perfungamini
cunctis, mando, pro me pro divoque
eaque terra, quae famē perit.
Cumque explorationem deus haud prius
iussisset, attamen vestrum fuit

hunc vindicare regem perditum
caedemque sciscitari - quandoquidem
regnum obtineo, quod ille habuit prius,
et lectos et parem uxorem, et prope
communes liberi mihi contigissent,
nisi ille liberis orbus fuisset.
Nam miseria capiti eius incidit.
Quare pro eo propugnabo ut pro patre
rem eam atque cuncta temptabo anquirens
necatorem Polydori et Labdaci
stirpis veterisque Cadmi Agenorisque.
Et istis iussa non facientibus
oro deos mittatur nulla sementis
nullique liberi, sed sorte eadem
pereant et praesenti illa peiore.
Aliis sed vobis Cadmeis, quibus
placent haec, adsit Iustitia socia
et omnes semper adiuvent dei!

CH. Cum devotione vinxeris memet,
sic dicam: non interfeci neque
eum monstrare queo. Tantum Phoebus
iussit quaesisse, non eum ostendit.

OE. Correcte dixti; cogere sed deos,
quae nolint, credo nullus vir possit.

CH. Secundam dicere rem volo tibi.

OE. Si tertia sit: ne desine dicere!

CH. Eadem scio atque Phoebum principem
novisse Teiresian, a quo discere
aliquis percontans scilicet possit.

OE. Sed cogitavi neque neglexi.
Nam nuntios duos mittebam ei
Creontis consilio; absentem miror.

CH. Sed et alia verba muta sunt et prisca.
Quae tandem? verba cuncta perspicio!
Defunctus dicitur a viatoribus.

OE. Audivi ego; videntem vidit nemo.

CH. Si saltem pars timoris in hoc inest,
tuas exsecrationes non patitur.

OE. Nec verbum terret, qui metu sine agit!

CH. At convicturus eum exsistet! Illi
divinum vatem ducunt huc, mera
cui soli veritas hominum innata est.

Translatio cuiusdam carminis poetae Oberonis

Divina species divino numine venit
Lumine circuitu sparso: Terrena venustas
Mente mea exstincta est, nebulas ut sol fugat ortus
Atque vagas umbras caliginis atque tenebras
Deinde triumphanti collustrans lumine caelum.
Iunior obtutus vultum vix pertulit angeli -
Haud mora parva fuit: molli sopita sopore
In teneras collapsa manus sunt membra volantis.
Caelestîs auras spiranti ventilat ille
Pluma iterumque meos sensus restaurat odorem
Dulciter instillans; splendorem mitigat almum
Visibilique colore refulsit. Fortius usque
Illum conspexi; sed amor, quem dididit ample,
Ad signum caeleste meum confirmat ocellum
Lumina clara repercutiens - optat comitarer.

Quam sua dicta fluunt perdulci voce labellis
Floridulis! Non dicta fuere ita dulcia, quando
Voce redundanti balbaquē grata Melinde
Cum gemitu suavi (carissima venerat hora!)
Confessa est tibi amorem nulla praedita culpa.
Plenus amore iterum flentem respexe venustam
Iuvit et unam te — radiûm super alta viarum,
Quos e mille dedit sol fontibus almus inundans
Et rorans mundos, speciem divinitus ortam
Postilla sectabar euntem. At lumine opimo
Aetherii super arva poli diffluxit ocellus.

HOMERI ODYSSEAE
PROOEMIUM
LATINE REDDITUM

(vv. I - XCV)

Thomas Lindner

Insece, Musa, virum mihi versutum atque repulsum
Saepe mari, quoniam sacram subverterat urbem.
Multorum mentes hominum cognovit et urbes,
Multos corde suo duros toleravit in alto,
Semet conservans et amicos, ille dolores. inde
Haud tamen eripuit, quamvis in corde cupisset;
Crimine deinde suo perierunt (nescia turba):
Namque boves Phoebi comedebant altivolantis.
At diem eis reditus felicis celsus ademit.
Ex illis, Iove parta, mihi da, diva, alicunde!

Tunc alii subitae cesserunt perniciei
Atque domi fuerunt refugi bellique fretique.
Coniugis et reditus cupientem dia dearum
(*) Illum unum nympha sperans fore forte maritum
In patula cavea retinebat clara Calypso.
Sed simulac tempus venit currentibus annis,
Quo statuere dei, reditum impetraret Ulixes
In patriam, nondum aerumnas effugerat errans
Nec fuit inde domi nec ~~et~~iamtunc inter amicos.
Ast omnis miserata fuit divina potestas
Praeter Neptunum - namque is vehementer Ulixi
Aequideo iratus reditum prohibere volebat.

(*) nympha illum sperans unum

Aethiopes etenim visit procul indhabitantis,
Aethiopes duplices, quae hominum suprema fuit gens -
Altera summersi, orientis altera solis -
Hostiam ut acciperet taurûmque oviumque sacrarum.
Hic dape pastus erat accumbens; cetera turba
Conciliabatur patula tunc sub Iovis aula.
Incipit inter eos divûm pater atque hominum rex -
Nam corde Aegisthi reminiscitur innitentis,
Quem satus exemit Graiûm duce notus Orestes.
Sic meminit - dictis exin caelestibus infit:
"Hem! Quali pacto divos homines accusant!
Parta mala a nobis etenim gens nescia firmat:
Fata super factis propriis mala multa parantur!
Ut quoque nunc Aegisthus (id haud fatis ita constat)
Uxorem Atridi duxit, quem sustulit ipse,
Quamquam perniciem scivit, quia diximus ante -
Mercurium acrividentem ei misimus Argeiphonten -
Ne illum interficeret neu sponsam duceret eius.
Namque erit Atrido satus ultor et ira tremenda,
Cum pubescet et inde sua tellure flagrabit.
Sic ait Mercurius, sed non menti persuasit
Aegisthi (bene velle tamen) - nunc cuncta luebat."

Tum respondit ei voltu dea glauca Minerva:
"O pater, alte Saturni, inter regnantis princeps:
Pernicie frangebatur nimis ille profecto
Atque decet: pereant alii, qui talia factent!
At mihi cor titubat sapientem propter Ulixem -
Infelix! procul a sociis tolerat cruciatus
Insula in ambiflua, medium qua prominet alti.
Insula silvigerast. Diva aedis incolit intus,
Atlantis sata fatiferi, qui cuncta profunda
Novit et ipse gerit longas magnasque columnas,
Quae caelum et terram seiungunt. Atque querentem
Illius afflictum retineri filia gaudet.
Vocibus et blandis et dulcibus illicit illum,
Ut patriae obliviscatur; sed tristis Ulixes
Fumum iterum patriae cognoscere gestit amatae.

Fumum iterum patriae cognoscere gestit amatae.
Proximus excessu desiderat - haud tibi cor nunc
Torquetur, pater? Anne tibi sacra nulla litabat
Graiorum ad navis indulgens Ilio in ampla?
Quare adeo, mi summe pater, iratus Ulixi?"

Tunc respondit ei divinus nubiliger sic:
"Quale, puella, tuo verbum secessit ab ore?
Quomodo divini celsique obliscar Ulixis,
Qui superat homines animo, qui munera sacra
Dis dedit, arva quibus celebrantur vasta superne?
Terrivehens Neptunus ei suscenset ob orbum
Lumine Cyclopem, cuius vis maxima habetur.
Filia Phorcynos rapido rectoris in alto
In patula peperit Neptuno iuncta caverna
Aequideum Polyphemon amore accensa Thoosa.
Postilla tellurimovens Neptunus Ulixem
Nequaquam interimit, patria sed pellit amata.
Ast agedum cuncti reditum curemus Ulixis,
Ocius ut patriam videat: Neptunus omittet
Iram; non poterit cunctis caelestibus unus
Invitis, quamquam validus, subsistere divis."

Tum respondit ei voltu dea glauca Minerva:
"O pater, alte Saturni, inter regnantis princeps!
Si reditus reliquisque deis tibique, optime, cordist,
Ut patriamque domumque cito cito pergat Ulixes,
Mercurium extemplo ductorem atque Argeiphonten
Insulam in Ogygiam mittamus, uti bene comptae
Consilium nymphae certum communicet: olli
Denique adhuc profugo patriam licet ire dolenti.
Ast Ithacen ibo natum impulsura animumque
Iniectura bono: longis decorata capillis
Iussu Telemachi forum adibit et omnibus inter
Turba procis dicet bobus pecudumque caterva.
Dein Spartamque Pylumque patris reditum exploratum
Pulviferam adveniat, numquid cognoscere possit.
Atque ita gloria ei mortalibus attribuetur!"

***

Excerpta ex Homeri Odyssea
In Latinam linguam conversa
(E libro XIII.)

Exspectante dein sol albus cessit Ulixe,
Et subito appellat Phaeaces remiamantis,
Sic haec dicta dedit imprimis Alcinoo illi:
"Cunctorum populûm princeps qui es maximus, audi!
Mittite me illaesum domum et hinc valeatis, amici.
Omnia sunt perfecta mihi, quae mens voluit mea:
Praesidium comitum, mera dona, quibus volo divis
Prospera vota - atque o utinam domi coniugis fidae
Inveniamque iterum aspectum integrosque sodalis.
Sed remanetis: et hinc sponsasque beate tenellas
Ac teneros pueros; divis virtute beari
Contingat varia - ne clades battuat almos!

***

Quando terrivehens Neptunus id audiit aure,
In Scheriam ivit, ubi Phaeaces incoluere.
Mansit ibi; propiusque ratis volat altisecans et
Ociter insulcat pelagus: Neptunus adivit
Et lapidem fecit radicitus introtrusa
Nave solo ponti palma - Procul iverat inde.
Verba alata dein Phaeaces remiregentes
Illa viri dixere vicissim navipotentes.

***

Dixerat; et pulchros tripodas numeravit et aurum
Ac pelvis secum aspexit vestisque decoras.
Nil deerat; tamen is patriam conquestus inerrat
Litoribus male laetus iens pelagi altisonantis,
Acriter illacrimans; sed eum prope sistit Athena
Custodi pecudum similis iuvenique tenello,
Non aliter quam si regali stirpe creatus
esset - et ille quidem duplici velatus abolla.
Sub pedibusque gerit soleas manibusque sarissam.
Cum vidisset eam, valide gaudebat Ulixes
Atque deae propians haec dicta alata locutus
Edidit: "O salve, quisquis versaris, amice!"

***

Translatio cuiusdam carminis (Hölty/Voß)

Parvam, sodales, pendite barbiton
Me pone sacra altaria mortuo,
Nonnullius qua serta, mortis
signa, nitent obitae puellae.

Et tutor harpam gratus euntibus
Ostendit inde et perstrepit infula,
Quae rubra barbito ligata
Sub rutilis fidibus movetur.

Tum 'saepe' mirans 'sponte rubro polo
Tintinnat harpa suave ut apum sonus;
Quam sentiunt foris iocantes
Parvuli et attonitas corollas.'

Translatio carminis Hoelty

Per dumeta mero cum vaga lumine
Luna fundit amans splendida caespites
Cantat lusciniusque
Tristis per frutices meo.

Laetus te celebro deinde, canens avis,
In nido tibi cum femina concubet
Cantatique marito
Mille praebeat oscula.

Umbratae viridi fronde canunt duae
Aves laetitiam; nec maneo, sed heu!
Arbusta atra requiro,
Manat solaque lacrima.

Quando te, effigies, invenio meram
Terra, quae penetras cor mihi lucide?
Atque lacrima sola
Malas acrius involat.

SIMILE (Goethe)

Super omne acumen
Tacetur;
Nullum cacumen
Videtur
Aere tundi.
Et aves silent tranquillae.
Mane pupillae
Quietem infundi.

Reflections upon the golden age

I could imagine life in previous age,
When problems, fear, cruel facts and bloody war
Did not exist, but when uninjur'd earth
Bore fruit and fed her children just begot
With fare unforc'd and voluntarily;
When man was peaceful and repell'd his lust
Of futile power and vain affluence,
The idle fountains of malignity -
Which (doubts without) existed all the time,
Since man's creation by a higher might. –
But in that time from which I gain my dream
(It's beautifully call'd the golden age)
There was no bad, no ugly perfidy,
No tendency to selfish glossiness,
Which ever-lurking rests in human nature,
Until the rupture of the fatal dam,
Caus'd by aboundance of damn'd cumulation
Of awful strength unruly for th' inventor,
Destroys th' entire world without restraint.
This is man's heritage which we are forc'd
To bear; this is man's fate, inevitable,
Unless his blind direction will convert
Itself and soon return to deeper sense. -
There is no wonder that my vexed mind
So strongly craves for cheerful compensation,
So violently longs for nicer thoughts:
Away with dreary clouds and darken'd brains!
Aloof, ye fearful figures of affliction!
But thou, serene and cherish'd gem of yore,
Illuminate my mind, give light to it,
Sothat a sweeter gleam makes sweeter thoughts! -
Of olden times, of lovely golden age,
When modulating nymphs inhabited
The meadows, mountains, and the glassy brooks,
When shepherds lay, stretch'd in the gentle grass,
Beneath a tree, who with her spacious branches
Affords so grateful shade, so dimmed light
To bury him with quiet, pleasant gloom,
Until he falls asleep and ends his tune,

Until a dream so light and lucid comes
That him enchants with pictures never seen -
I cannot tell those pictures of the dream,
For nor my tongue nor any word suffice -

Of those times, not of Discord's fiery wars,
Sing, noble Muse, restore my blissful heart,
Which was benumb'd by Ares' sullen bell.

Th. Lindner

REFLECTIONS UPON THE GOLDEN AGE

Thomas Lindner

I could imagine life in previous age,
When problems, fear, cruel facts, and bloody war
Did not exist, but when uninjur'd earth
Bore fruit and fed her children just begot
With fare unforc'd and voluntarily;
When man was peaceful and repell'd his lust
Of futile power and vain affluence,
The loathly source of his malignity -
Which (doubts without) existed all the time,
Since man's creation by a higher might. --

But in that time from when I gain my dream
(It's beautifully call'd the golden age)
There was no bad, no ugly perfidy,
No tendency to selfish loftiness,
Which ever-lurking rests in human mind.
Alack! the rupture of the fatal dam,
Caus'd by aboundance of damn'd cumulation
Of awful strength unruly for th' inventor,
Will flood th' entire world without restraint.
This is man's heritage which we are forc'd
To bear; this is man's fate, inevitable,
Unless his blind direction will convert
Itself and soon return to deeper sense. -

There is no wonder that my vexed mind
So strongly craves for cheerful compensation,
So violently longs for nicer thoughts:
Away with dreary clouds and darken'd brains!
Aloof, ye fearful figures of affliction!
But thou, serene and cherish'd gem of yore,
Illuminate my heart with tranquil rays,
So that a sweeter gleam makes sweeter thoughts.

Of olden times, of lovely golden age,
When modulating nymphs inhabited
The meadows, mountains, and the glassy brooks,
When shepherds lay and touch'd the gentle grass
Beneath a tree, who with her spacious branches
Affords so grateful shade, so dimmed light
To bury him with quiet, pleasant gloom,
Until he fall asleep and end his tune,
Until a dream so light and lucid come
To ravish him with pictures never seen –
I cannot tell those pictures of the dream,
For nor my tongue nor any words suffice –

Of those times, not of Discord's fiery wars,
Sing, noble Muse, restore a blissful soul,
Which is benumb'd by Ares' sullen bell.

***

Th. Lindner

TO THE MOON

When Eve's prevailing gem with limpid light
Illumes the dewy leas, the tranquil fields,
The towns where finally this futile fight
Of haste and toil to trembling silence yields,

I sometimes must reflect on mortal doom
And am benumbed with care and pallid pain;
The hasty day is over, full of gloom,
For we on purpose tread the dismal lane –

Ah! now with flimsy veil of fragrant haze
Has fallen night and touched a fearful heart,
And moon's appeasing gleam expels the daze
And after all extracts the spirit's dart:

For this mysterious shine with solemn kiss
Restores my mind, arousing sombre bliss.

TO THE MOON

When Eve's prevailing gem with limpid light
Illumes the dewy leas, the tranquil fields,
The towns where finally this futile fight
Of haste and toil to trmbling silence yields,
I sometimes must reflect on mortal doom
And am benumbed with care and pallid pain -
The hasty day is over, full of gloom,
For we on purpose tread the dismal lane –
Ah! now with flimsy veil of fragrant haze
Has fallen night and touched a fearful heart,
And moon's appeasing gleam expels the daze
And after all extracts the spirit's dart:
For this mysterious shine with fertile kiss
Restores my mind, arousing sombre bliss.

Th. Lindner

BUCOLIC SONNET

Oft when the splendid sun yields to the gloom
And Hesper then adorns the tranquil lea
With crystal dew, so that a glassy sea
Reflects in thousand droplets Phoebe's bloom,

Daphnis comes to a cave in sweet suspense;
There Chloe burning with a flaming flare
Awaits him to enjoy the common lair.
Sic haec dicta dedit imprimis Alcinoo illi:
«Cunctorum populûm princeps qui es maximus, audi!
Mittite me illaesum domum et hinc valeatis, amici!
Omnia sunt perfecta mihi, quae mente volebam:
Praesidium comitum, mera dona, quibus volo divis
Prospera vota — atque o utinam domi coniugi'fidae
Inveniamque iterum aspectum integrosque sodalis.
Sed maneatis: et hinc sponsasque beate tenellas
Ac teneros pueros; divis virtute beari
Contingat varia — ne clades battuat almos!»

⁂

Quando terrivehens Neptunus id audiit aure,
In Scheriam ivit, ubi Phaeaces incoluere.
Mansit ibi; propiusque ratis volat altisecans et
Ociter insulcat pelagus: Neptunus adivit
Et lapidem fecit radicitus introtrusa
Nave solo ponti palma — procul iverat inde.
Verba alata dein Phaeaces remiregentes
Illa viri dixere vicissim navipotentes.



Dixerat; et pulchros tripodas numeravit et aurum
Ac pelvis secum aspexit vestisque decoras.
Nil deerat; tamen is patriam conquestus inerrat
Litoribus male laetus iens pelagi altisonantis,
Acriter illacrimans. Sed eum prope sistit Athena
Custodi pecudum similis iuvenique tenello,
Non aliter quam si regali stirpe creatus
Esset — et ille quidem est duplici velatus abolla.
Sub pedibusque gerit soleas manibusque sarissam.
Cum vidisset eam, valide gaudebat Ulixes
Atque deae propians haec dicta alata locutus
Edidit: «O salve, quisquis versaris, amice!»

XXXII: *Translationes* (II)

Parvam, sodales, pendite barbiton
Me pone sacra altaria mortuo,
Nonnullius qua serta, mortis
Signa, nitent obitae puellae.

Et tutor harpam gratus euntibus
Ostendit inde et perstrepit infula,
Quae rubra barbito ligata
Sub rutilis fidibus movetur.

Tum «saepe» mirans «sponte polo rubro
Tintinnat harpa suave ut apum sonus;
Quam sentiunt foris iocantes
Liberi et attonitas coronas.»

(*Hölty*/*Voß*)

XXXIII: *Translationes* (III)

Per dumeta mero cum vaga lumine
Luna fundit amans splendida caespites
Cantat lusciniusque,
Tristis per frutices meo.

Laetam te celebro deinde, canens avis,
In nido tibi cum femina concubet
Cantantique marito
Mille praebeat oscula.

Umbratae viridi fronde canunt duae
Gaudium volucres; nec maneo, sed heu!
Atra arbusta requiro,
Manat solaque lacrima.

Quando te, facies, invenio meram
Terra, quae penetras cor mihi lucide?
Atque lacrima sola
Malas acrius involat.

(*Hölty*)

XXXIV

Veni, precamur, ver tandemque pelle
Novae pruinam lucis cum vigore,
Sudique sol poli, mero calore,
Pia vocate lingua, fulge belle.

Et basio miti cita tenelle
Quieta prata silvas et colore
Adhuc egentis, alitesque more
Cantate dulci, pipians popelle.

Nunc nunc ades desiderata Musa
A vate laeso morsu pertinaci.
Sic integra confirma caritate

Et gaudiis risuque corda fusa:
Ah! mente rursum cantabo sagaci
Tua refectus, alma, claritate.

XXXV

Musicae ut voces celebres feruntur,
Et mele oblectant sonitu sonoro
Organi tentae auriculas catervae
Monte Casino,

Quale me desiderium tepentem
Cepit, ardor qualis adussit inde
Pectus infirmum, teneraeque flammae
Corpore toto

Defluebant, atque cutis flagrabat:
Pyrrha, dulci deliciae figura,
Crinibus flavis, lepida statura,
Te simulatque

Dulciter ridere mihi aestuanti,
Candido obtutu mera dona voltus
Mi dare aspexi, vehementer ante
Sospita corda

Tu cremasti fulminis imperita.
Usque sic uror grave: quando rursum
Te queam vidisse, puella amata,
Nescio tristis.

At lyra solaciolum pusillum
Flebili versus cecinisse restat.
Inde subtilem, mea Pyrrha, formam
Carmen adumbrat.

XXXVI

Thomas salutem dicit amiculo!
Meum hoc poëma suscipe confitens
Et impotentiam renarrans
Polliciti dare munus almi.

Namque ut poëta conteror et labo
Lyra volanti praeditus et vaga.
Et nunc voluntas carmini obstat.
Sic mea Musa tacere debet.

Praesentia non ut solet oscula
Nec spiritu dat fulmina fertili;
Heu! non queo carmen, quod optas,
Mittere; da veniam valeque!

XXXVII

Litteris valide tuis levatus,
Ut poëta novos, novis necesse
Formis atque modis studere memet,
Vere gaudeo gaudeoque, amice,
Tibi carmina, quae dedi, placere.
Parce versibus his, scio, impolitis,
Cum semper labor imminere multus
Sedulo soleat mihi studenti
Ac tempus fugiat negotiosum.
At tamen celeri tibi volatu
Haec annuntiet inde me valere
Ac valde studiis datum papyrus,
Ut mihi tua te laboriosum
Esse dixit — imaginare contra:
Quam dulce esset in uvido sedere
Ruris caespite, solis et recentis
Mitibus radiis dein feriri,
Leniter zephyri tepentis aura
Mulceri faciem et vagos capillos,
Aestivisque caloribus beari.
Barbito tenera merum poëma
Cantavisse modo tenelliore
Non nobis placeat? Vale, sodalis!

XXXVIII

Heu! doleo, mea Musa, male sto rebus iniquis;
Quid me continuis tortibus excrucias?
Quam mea vita fuit gratissima, crede, mihi dum
Prisca valetudo floruit usque bene,
Vel quaecumque fuit, melior tamen et stabilita,
Haud similis poenae, pessima quae subiit.
Me miserum! Quare mihi tam gravis angor anhelat,
Quoius ego causam non queo concipere?
Torqueor hinc illinc immensis planctibus actus,
Nec scio quo tracter. Quid mihi finis erit?

XXXIX

Quid est, miser Thoma? Quidnam tremis
Anima vacillanti, flendo, prius
Fueris cum salvos laetitia mera,
Puro vigore, gaudio — sed heu!
Iam nunc, iam nunc non est — non est, ais?
Desiste flendo, timide! Cogita,
Fueris prius quo terribili statu,
Quo nunc! Beatus desine lacrimis,
Cunctatio pereat, valeas, puer!

XL

Incipe concinuisse; diu, mea Musa, tacebas,
Perpetuo tortus impete trusa trucis.
Ast ubi nunc degis? Rursus viget ille poëta
Atque valet scriptis munera ferre tibi.
Dixerunt alii semper valuisse misellum,
Qui miser in lecto iugiter accubuit.
Arbitror hoc falsum esse — vigor novos intrat in artus
Tantum, si temptas sponte valere tua.

XLI

Pyrrha, tete depereo puellam
Et mero dulcique cremor amore.
Quam cupido suavis inundat artus
Fulgure forti.

Sic nova libidine anhelat ardor
Pectus insuetum; video, quod ante:
Fervido poëmate me tenellam
Concinuisse.

XLII

Nova Pyrrha me delectat, nova Pyrrha animum ciet
Mentemque pungit
Usque novis, usque gravioribus stimulis,
Et acriore plaga
In perpetuom simulacrum suom meo cordi impingit,
Nescia quidem.

Quali consumar fulmine, qualis flamma
Totum perurat crudeli, crudeli,
Sed optato tamen impetu corpus,
Illa nescit, neque scire fas esset misellae.

Et tu luges, cara, inexplicabili dolore,
Sicut prius ego;
Sed dolore, quamvis pauper, augeris
Crescitque venustas,
Quam ego impotens identidem admiror,
Triste gavisus.

An mihi licet? Te cognoscenda prohiberi fortasse praestiterat?
Nescio diiudicare, nec cupio, neque opus est:
Nihil erit nisi admiratio
Mutua amicitia consummata.

Quare te bacchor, te pascor, te flagro,
Te quidem integra.

XLIII

Dolens pruinosis dispalor arvis
Et spiritu considero remisso.
Vepallidis vexatus triste larvis
Contemplor ore bella prata fisso.

Aurora verberi mansueta cedit
Maiorque sol rosariam profanat
Telis severis — ecce, dulce sedit
Voltu meo ventus stillasque sanat.

Ignotus inde sensus corde caeso
Potitur, ilicet nequam cupido
Inerme tangit — heu, decore laeso
Quae, cara, fies? I foras, libido!

Sic triste flenti maesta mens tremescit,
Ah! vita quando rursus enitescit?

XLIV

Tranquilla pax, venire iuvet meae
Menti merique balsama cantici
Sonosque Musarum sonoros
Adde mihi simul helluanti.

Infunde tandem, care mihi sopor,
Cum cantibus puris iaceo satur
In lectulo supinus inde,
Paupera membra quiete leni.

Ah! quid, quid est? iam iamque remissio
Retendet aegro denique nervia;
Pictisque perspergor figuris,
Languida fit ratio occupata.

XLV

Quid mihi? Heu heu! mea Musa, tandem
Da misellulo, quoniam dolere
Iam sat esset — ast animae caduco
Pondere laesae

Certior duret dolor atque perstet:
Qui solubiles revocentur artes,
Dulce pectoris medicamen acti
Solvere fluctus?

Fluctibus nam namque teri superbis,
Qui nihil possunt ratione pura
Dirigi decente via nec addi
Mentis habenae,

Sensibus fissis ut alatur error:
Carbaso pulla retegi vacillans,
Nec furore cordis agi sereno,
Vatibus ardor,

Nec mero maerore animam refundi,
Flens uti levetur aqua lavanti —
Ast hebere languidus interire
Vivere et unae.

Quare ades iuvans, mea Musa, mancum,
Et favorem mitte mihi negare:
Sic amati mi foclles amorem
Luminis, alma!

XLVI

Quid mihi fit? Nescio dicere — tam difficile,
Tam inexplicabile volnus,
Quale numquam videre iuvet,
Videre toto corpore, tota mente sentire,
Quale attamen, cum quando attigeris,
Effascinare, irretire, captum tenere,
Nec effugituro parcit, volenti quidem.

Quid mihi fit? Identidem rogare debeo.
Languidula vis, vetita — triste gaudium,
Dolor extremae laetitiae; moriente
Natura nasci libuerit?

An licet tangi, quoi renegatae subdor
Amore arsuro simul suffocato?
An praestat deprecari, illecebras nesciae
Aversari, quam ignotus spiritus afflat
Velamine dulcedinis amictam —
Sentio periculum.

Quae mihi possibilitates restent?
Quid faciam? Quid doleam?
Quare dolore offuscari pullo,
Sole illuminari claro,
Vinci, premi, subdi, dulce?

XLVII

Tempus adest tenebris densis et lumine torvo
Indutum mundusque diu velatur amictu.
Fessa dein tenero succumbit terra sopori
Et regio circum placide dormire videtur.

Atque vide: brumalis hiems et frigora furva
Adveniunt comitante gelu nimbisque nivosis
Occultare levi lucos nive, lambere lamas
Limpidulaque lacus glacie levisse latentis.

Urbs quoque cum domibus dulci tacet abdita somno:
Pulvere perpetuo magis et magis aether amoenas
Aedes atque locos, statuas hortosque dealbat,
Ut niteant ampli pallenti lumine vici.

Denique sic nobis contingunt otia grata
Aegrius afflictis tremula trepidaque diaeta.
Pax tranquilla iuvat tandem placatque labore
Exhaustos: requie grati fundemur ab alma.

XLVIII

Sole iam primos radios pusillo
Denuo fundente mihi vaganti
Arva, ripas, flumina murmuranti
Feta lapillo,

Nunc pedes algu mihi pituitae
Imbuente caespite, nunc tenello
Dulciter favente noto novello
Numine vitae,

Tu mihi venis habituque voltuque
Alma diva: Luminibus decoris
Quale pares, quale places leporis,
Candida, cultu!

Ast, ut antea, doleo dolore
Perditus: fugit, vaga nympha, fugit!
Turbido mentem mihi flamma sugit
Taetra furore.

Sic mihi saltem teneros serena,
Tempus, affectus: Memori figuram
Pange cordi perpetuo daturam
Lugia plena.

XLIX

Caerulei splendoris adest decus, eia, canamus
Laetitia pleni carmen, celebremus adulti
Munera gaudentes reditu speciosa diei:
En nobis vitalis enim sic inditur ardor!

Quale caloris erat desiderium: caligo
Frigore iam dudum pungebat pectus atroci.
Denique sol ridet saturanti lumine corda,
Corda, diu cara misere quae luce carebant.

Et bona nunc variis ornantur floribus arva
Sollicitis terra radio stimulante tenello.
Lene beant zephyri campos ventique sonori
Hos comitant tepidoque calore mapalia mulcent.

Gemma poli, radios nobis admitte serenos,
Unde nova vita repleamur membra soluta.
Caerulei splendoris adest decus, eia, canamus
Laetitia carmen veris, celebremus amantes!

L

Luce nova fundi meroque cantu
Atque dulce nova vita renasci
Fertilis cantare sonos serenae
Subditus arti —

Qualis erat dudum mihi voluptas
Et desiderium labante corde.
Nempe «eris» dixi «mea vita casta
Praedita veste»

Nescius et dari fuit tenebris
Sors mihi misero — sed quale dirum
Numen indit inde misellularum
Carmina vocum

Fulminis attacto dolore cordi:
Tempestas oritur, flant flant procellae,
Dissipant leges — ita ali iuvabat
Ordine rupto.

Tempore placabantur helluantes
Turbines animae; pudor pudice
Antea brevisque procella deinde,
Cedite tandem!

Luce nova fundor meroque cantu
Atque dulce nova vita renascor
Fertilis cantare sonos serenae
Artis alumnus.

LI

Diffugiunt tenebrae pulsatae lumine Eoo
Paulatimque polum subeunt dilucula canum
(Namque invisibili noctem deprivat amictu
Mirificis urgens alboribus alta potestas).
Conspicuae iam iam surgit telluris ab imo
Margine postremo digitis aurora rubellis,
Fornicibus caeli subtexens tenvia fila.
Interea currente die vi candidus aucta
Sol oritur, potiore sororem lampade sectans,
Maiestas et rex caeli venerandus aprici:
Indicat assiduam vitam iubar atque iuventam.
Lene solum palpantur amoenis flatibus aurae
Ac varios flores ac mollia gramina campi
Poplite mellifero pictis apis instrepit alis,
Nectare pasta bono celeri volat inde susurro.
Sensibili vix ascensu volventibus horis
Gemma poli pollet summoque in vertice sistit,
Perpetuis radiis vehemens loca subdita torret
Et validis terram fervoribus urit inermem.
Nullus inest exinde vigor, depulsus inique:
Arva, quibus sua vita fuit muscisque apibusque,
Nunc exhausta iacent raptoque liquore gemiscunt
Arboribusque color viridis decedit ob aestum.
Nec lacubus sua gutta manet: siccantur et umor
Schemata densescens describit in aëre parva,
Quae vidisse fateris abarguerisque videndo.
Sic natura fatigata est et torpida languet,
Languet, luget et inde siti vexata periret,

Ni deus altitonans, miseram miseratus, adesset.
Cum graviter terram cernit segetesque sitire,
«Venti, confestim pullos conquirite nimbos
Nubilaque», inquit, «adeste simulque afferte dolenti
Imbris opem Cereri: Phoebo praecludite portas,
Exhaustumque solum madeat viresque resumat!»
Nec mora, terrisono veniunt rumore procellae,
Partibus inflantes diversis, pellere nubis;
Appulsis faciunt molem: via lucis adempta est.
Fulgura continuo nitida nitidissima luce
Flammeoloque furore micant ac perpete bombo.
Et facies terrae nunc solvitur exoptata
Proluvie; breviterque deus fera fulmina vibrat.
En! subito nimbi tenuantur et imber alendo
Lenis in arva prius flaccentia decidit: eia,
Phoebe, nites et tu rutilus rursumque sagittas
Aureolas leviore quidem nunc impete mittis,
Aureolas, graciles quae guttas imbris aquosi
Findunt finduntur varioque colore retexunt.
Viribus adsumptis iterum bona surgit arista
Et bibulus suspirat ager madidusque revivit:
Sic nova purgata natura renascitur aethra!

LII

Excitor; quam densae nebulae
Me circumdant.
Sentio iterum recuperasse
Mentem, sed nondum corporis potestatem.
Iaceo lectica,
Attempto levare caput.
Cadit; iterum mente pervicaci
Relevare caput, praeesse corpori.
Aperio oculos, apparatus video
Multos, dupliciter.
In mediis tria capita
Unius puellae sororis; conor
Loqui, paululum possum
Et puellae vox
Quam me sedat nihil potentem, sed volentem.
Iterum palpebra cadit, tamen in manu
Sentio manum puellae
Iucunde tepidam, iucunde
Animum mitigantem sollicitum. —
Paulatim recentior
Venit vis
Et amanda vita
Paret magis magisque
Ut prius.
Experientia docet.
Placet experiri?

LIII

Dives adest autumnus; erit sine lumine terra,
Solis et obliqui vis hebet imbre gravi.
Heu! tenebrae venient — at temporis ante fruamur
Divitiis: cornu Copia reddit opes!

Autumnale decus! Fagi mutare colorem
Coguntur viridem silvaque fulva nitet.
Arboribusque bonos fructus, sua poma, dat annus,
Uvaque colligitur puraque vina fluont.

Mane leves nebulae tristis perserpere campos
Consuerunt: cedit sole tepente vigor.
Si calor, iste brevis; iam iam fallacia caeli
Nubila producit canaque gutta cadit.

Frigora paulatim subeunt nova: dente rapaci
Unguibus et miseris alba propinquat hiems.
Sic iterum domus inde placet: cum ligna camino
Perstrepitant, mentes mitigat alma quies.

LIV

Quae mea vita volt fingi?
An opulenta, luxuriae, voluptatum plena,
An vero deliciis denudata omnibus,
Quas quisque adfectat,
Mentis consummandae causa?

Dicunt severiores, ut olim, ut semper,
Voltu exacerbato — cum numquam istis contigerit —
Voluptati quamquam humanae inhiantem
Peccare, quin cogitantem peccaturum.
Pauperes, qui fructus decerpere non possint,
Qui iucunda humanitatis condicione
Frui nesciant! Miseri,
Cum ipsi, summum se bonum profitentes invenisse,
Tamen vitam sibi renuntient!
Scelerati, si aliis quoque conantur interdicere!

Molesta gens; relinquantur, destituantur oportet,
Si perpetua vituperatione quaerentes vexant —
Ideo alio quodam modo veritatem quaerere
Iuvabit!

Sic, consternatus, spe deiectus, immoderatae
Indulgere voluptati.
Quale gaudium, qualis effrena licentia
Praestatur!
Primum libidinosa mente ferri,
Superbus, semet ipsum liberasse arbitratus,

Mores, traditionem negans, deridens,
Cunctis legibus spoliatus, rex
Totius sui.
An vero opulentissima in perpetuom
Pelliciere libidine?
Nonne, adsiduos quamquam,
Fons exhaurietur crudeli usu?

Quae directio denique ad finem ducit?
Qui est finis? Quare fini appropinquandum est?
Quare mens est consummanda?

Fragilis et inaequalis anima
Respondere nequit,
Difficultate victa,
Anxietate torpida huius mundi,
Frigore attenuata temporis. –

Luna in altas
Descendit silvas
Et crispanti
Paret undae.
Hic sedari
Qualis curas,
Qualibus licet
Tormentis solvi.

Vi firmari nova
Ad facetias,
Quae pro vita habentur.

LV

Qualiter inductae tremunt tenebrae
Et nives leviter saltant caducae!
Mox lacus laetantur habere et agri
Candida vela.

Grandinibus canis solent procellae
Advolare tamen quiete rupta
Et sub impetu furiositatis
Palpitat aër.

Accidat hoc foris furantque venti!
At crepante domi placer camino
Et beer somno recreante membra
Fessa labore.

LVI

Quam multa legi iam tenuis puer,
Mentique valde carmina sedulae
Favere, cum dedere cara
Balsama dulcisono sonore.

Et ipse, iam poëta, per aspera
Ad astra tum venisse putaveram.
Ah, quanta dat tormenta numen,
Anxius ille labor canendi!

Ad astra! somnium fuit ultimum —
Nunc nunc abibo rursus in alteram,
E qua piget fugisse, terram;
Carminibus procul inde vivam.

LVII

Ecce! per hunc iterum cito flumina pura canalem
Assidue currunt efficiuntque lacum.
Invitatus ades remaneque, viator, in umbra:
Delecteris aquae divite fonte merae!

LVIII

Lector, Notitias Austriacas probe
Mireris reputans continuo editas.
Mutata est facies et titulus prior,
Ut chartae celebri nomine crescerent.
Nunc adsis, numerum conspice iubilaei,
Et quas res cupias cumque perambulans
Commentariolos, perlege et inde dic:
«Illae in perpetuom Notitiae vigent!»

LIX: *Epigrammata*

Pergimus in montes; alias mea prisca voluptas
Me capit; haud hodie. Sentio deficere!

⁂

Ah! crudelis amor, quam primo dulcia profers
Gaudia quantaque dein proelia ferrea erunt!

⁂

Illa cupit; quiane illa cupit, faciam haud cupienda?
Iussane mi ducas, nescia, posse dari?

⁂

Vivos semper eras tantum tibi proximus uni.
Se moriens demum repperit ingenium.

⁂

Desine, tempus edax, celeri transcurrere passu.
Ast aetate frui da mihi, Musa, diu!

⁂

O date mihi volvam, medici; mea mentula turget
Semper et, heus! futuam, donec erit vacua!

LX

Ei mihi, palpatur iam non me ventus amoenus
Nec me divino carmine nutrit Amor.
Vivere cogor, adhuc longo sic tempore trito,
Pauper et ab sacra flaccidus arte procul.

Non, ut erat, menti mea numina cara propinquant,
Despicit ingenium perfida Musa meum.
Sic sedeo, cerebrum percontans undique; nulla
Indolis antiquae cernere signa queo.

Et lacrimae labuntur egeno lumine lotae,
Limpidulis stillis imbuiturque gena.
Volvitur hinc illuc huc illinc perpete gyro
Mens mea nec firmo sistit inepta loco.

Quid vacuom vexare placet tibi, Musa, poëtam,
Quem poscis versus, quos dare non poterit?
Aut fer opem, cumque ipsa venis, cumque ipsa medere,
Aut hebeti posthac linque quiemque para!

$$L^N$$

I

Cara mihi es, Philyraea, mera circumdata lympha,
Insula parva quidem, sed et urbs latissima laude.
Quam tuos adspectus cunctos incantat amoenus!
Te bellam semper sincero corde saluto!

Quaeque domus decorabatur splendore decenti,
Pluraque sunt ritu proavorum insignia fixa.
Conspicua multi nonnullas naviter arte
Artifices aedîs restauravere novandas.

Quam iuvat inde tuos hortos transire patentîs
Floribus ornatos crebris et caespite molli:
Non saturetur imaginibus pupilla repleta.
Verte gradum portumque subi, spectator, et adsta!

Quam sublimiter illa leonis protegit urbem
Attentis oculis, genti sedamen, imago;
Conspicit, ut tutela, novos adpellere lembos.
Sic in perpetuom maneat tibi tanta venustas!

II

Collis erat, quem conscendi, viridantibus uber
Graminibus, venti me palpavere tepentes.
Et simul insedi scamno, quod vertice summo
Apposita mensa spatiantibus otia praebet,
Flatibus aëriis frumenti flava fluebat
Copia. Pone fuit late mea terga deumbrans
Fagus amoenicolor, foliis non sorde necatis.
Ecce, subit virgas et vimina turbidus aër.
«Ventule, ne scriptas asporta, stulte, papyros»
Inquam, et vix potui manibus deprendere chartas.
Decidit ut lente modico curvamine clivos,
Sub tumuli radicibus est cannaque palustri
Cincta palus stipulisque ulvisque et harundine molli.
Alituom decus hac servatur versicolorum,
Hac avibus solis pulchra regione tributa.
Clausa lacu regio est limoso plena liquore:
Artubus hic limus sanandis denique prodest.
Nare ibi consverunt hominum pars tempore aprico
Lymphaque spissa fruitur, pars altera gestit
Perlustrare, dein conlatae incumbere sellae.
Immemor altera pars nandi studiosaque fusci
Corporis usque iacent bacchantes caespite culto
Adfectantque cutem comburi nardificatam.
Deque fuit tumulo pulcher conspectus in agros.
Gramina faeniseces subcidere falcibus uncis
Adsiduo, plaustris fenum amplis ferre solebant.
«Sedula gens» mecum dixi voltumque levavi
Rudera miratus lapidum spatiosaque saxa
Fissa velut valido pugno vel fulmine diro.

Hoc Mare Saxosum dicebant nomine prisco.
Ac nonnulla fenestra domus, quae rupis acutae
Hanc iuxta speculam, quondam quae Noctua dicta est,
Parva quidem inmensis scopulis audacter adhaeret,
Fulsit gemmae instar nitidae teretisve adamantis.
Tramite serpenti summos montîsque petebant
Mille homines avide claram totidemque casellam,
Quom me luce levi circumdaret umbrifera arbos.
O quotiens collis memini et meminisse iuvabit!

III

Aeterna, Rossini potens, ornabere laude:
Namque in perpetuom Tonsor ludetur amoenus!
Et celeri lentoque gradu tua musica currit,
Ambobus variata modis et plena leporis.

Usque tuam decorat frontem, Bellini, corona:
Nam cantabuntur semper Normae cabalectae.
Seria, macte, mele posuisti numine celso
Difficili numero multisque coloraturis.

Care mihi Donizetti, tuae resonantur in aevom,
Crede, operae: Pasquale, Roberto et Amoris Elixir,
Lucia praecipue delectat cantibus aurîs.
Sic fama, polyhymne, tua laetere perenni!

Artifices alii, semper qui composuistis
Magnifice tantas operas semperque canore,
Cantica mutescent numquam nec nomina vostra:
Mercadante, Pacini, Paër, Carafa Mayrque.

Ex his eminet ille, vocatur rex operarum:
Verdis nobile nomen in orbe perenne manebit!
Notitia adfecto, quom conscripsisset Obertum,
Primus honor venit, postquam Nabucco dabatur.

Posthac clarus erat vir compositorque probatus;
Multaque componit componendoque novella
Gloria adaugetur: Lombardi, Foscari, Macbeth,
Attila, Latrones. Toto fiebat in orbe

Traviata Trovatore suo Rigolettoque notus.
Culmina venerunt ambo: Falstaff et Otello.
Tantum nunc meritât, ut, ubi devenerat aetas,
Magnanimus tantum disque esset, ut aedificandas

Segnibus atque aegris aedes curaret egenis.
Es famam indeptus summam, semperque libenter
Incluta cantatrix celeberque canent cantator
Has celerique operas scriptas numeroque sonoro!

IV

Iam pater haustus erat longique labore diei
Oscitat atque parat dormitum vadere veste
Mutata tunica noctis; rursum sua pandit
Membra iacetque simul, somno se dedit amico.

Ille beatus homo est: membris passisque lacertis
Lecto, nulla mora est, celerique sopore gravatus
Post nullum vero spatium requiescere felix
Hic solet haud aliter quam securissimus infans.

Quemlibet, infelix, iuxta dormire necesse est!
Tempore namque brevi, noctis velamine tectus,
Stertere perpetuat pater haud secus, insecet ac si
Serrula et instanti motu nemora alta recidat.

Quamquam carus homo est, rabie vix abstineas: nam
Volveris in lecto; placido somno usque fugato
Hac nunc parte, illa lecti nunc parte moraris,
Quom sopor adtiguom molli circumdet amictu.

V

Fons scatet, exigua de rima deflua lympha
Labitur et lapides vocali murmure pulsat.
Continuosque latex liquido splendore coruscans
Crescit, et alveolo cohibetur stilla pusillo.
Et citius refugit montîs, ubi natus, apricos
Rivos et acceptis torrentibus amplificatur.
Interea silvam, breviter iam flumine facto,
Quae viridi densis dumis fragrabat odore,
Adpropiant undae et rabido sorbentur hiatu.
Lenis aquae flumen tacito cum murmure manat
Limpida per silices iactantîs fulgura sursum.
Quam fuit ille locus pullo velamine tectus,
Fronde locupletes foliisque recentibus aucti
Quod rami umbriferi dederant et frigorifeti.
Quam fuit haec regio iucunda fusa quiete:
Qualia silva sopora silentia donat amoena,
Qualis in hac habitat pax candida valle tacenti!
Acrius intendas aurîs: cantare canoro
Agmina parva vigil cantu viden alisequorum
Et placido paulum vento fruticeta moveri?
Ripa videtur et herba videtur et ulva cubare:
Sic quoque cuncta silent, taciturne profluit amnis.
Parva mora est: primi radii iam vimina lustrant,
Confestimque plagas ridens sol vertit opacas.
Ac simul incipiunt tremulae titubare fluentis
Ocius atque undae crispantur fluminis alti.
Tamquamsi subito tempestas dira propinquet
Fulminis occultans oculis, non auribus, ictum;
Qui fremor ambiguos paulatim crescit et inde

Horrisono strepitu bombos simulare sonoros
Svevit et adtonitis terrorem inpingere torvom:
Sic ex longinquo primum clangore furente
Vortice perceleri guttae properare videntur,
Vortice et obliquo passim rapiuntur in arta
Saxa, furor quorum — iam vox me deficit aegra —
Dicitur et divis audiri sede superna.
Inde via est praeceps super aëra; rudera rumpit
Alveoloque carens rapidus fluvius volitando
Decidit, instabiles latices neque semita ducit,
Instabilesque cadunt super aëra praecipitanter,
Instabiles latices titubant properi: impulsu
Tangit humum flumen bruto simul obtusoque.
Impete iactantur vehementi, turbinis instar,
Fluctus spumosi vibrantque tonantque coacti.
Alveus ut reddatur aquis, condantur et undae,
Fontigenae est curae quaerendoque omnia format.
Sic amnis sensim placatur et exhilaratur.
Perfluit arva dein navis celebrata colonis,
Florigeros campos lateque patentia prata
Visit et ignotas terrasque urbîsque salutat.

VI

Sic natura creavit, uti te visere possum:
Nil mendacis habet facies medicaminis oris,
Unguine bucca vacat, falso palpebra colore,
Ac naturali laetantur labra rubore.

Carmine perdulci speciosam cantat alauda,
Nocte etiam stellae formam mirantur eburnam.
Femineum corpus, species aequabilis, ah! quam
Marmorei voltus, facies quoque lacticolores!

Bella puella, places non ac secus iris amoena,
Quae quom caelo oritur, mentîs et corda serenat.
Quo magis expediat: mihi tu regina rosarum,
Quae neque defloret prato neque deficit umquam.

Te veneror, molli — forsan si fingere fas est —
Amplexu tangam, quam sim tibi fidus amicus!
En! optata venis: thalamo succumbe parato,
A gremioque tuo mulcebitur almus amator.

VII

Splendida marmoreo collucens murice lympha
Emicat immensoque per aëra decidit arcu;
Usque merum laticem pellustrat lumine loto
Gemma poli radiique repercutiuntur aprici.

Illa figura lacus lata stat saepta lacuna,
Quoi subito aura aequor stringit; crispatur et unda
Ducitur exilis: fit, uti stips fulgura sursum
Strata super teretîs silices sescenta coruscet.

Hic caelumque plagasque ad limpida litora mirans
Non saturetur imaginibus pupilla repleta.
Pisce levi laetor liquidis inhiante lapillis,
Alborumque simul delectat lusus olorum.

Interea molli regio circumdata velo
Vertitur et noctis caligo densa morantem
Imbuit egelida me spargine: linquere oportet
Haec loca cara mihi. Quam dulcia tempora degi!

VIII

Tempore brumali terra gelida nive pressa,
Quom vico matris natali more morarer
Atque sederem aviae tecto fumante camino,
Quam fervore diu misso fornace fruebar!
Quam mihi dulce foco est lassari saepe crepante!
E plena tandem matercula nava culina
Dulcia poma, sui perquam studiosa nepotis,
Atque dapes multas, quae denique restituerunt
Corpora fessa, tulit pretiosa condita lance.
Dein, esis epulis, potu fruiturus odoro,
Auribus intentis narrantis ab ore pependi:
«Dum pueri fuimus tenues, ego, Francius ille,
Aequanima celerique manu collegimus ambo
(Hic tunc ludus erat nobis) pictasque columbas
Atque alias volucres varias et versicolores,
Alituom decus ut magna veniret in urbe.
Mense dies fuit apta — bene hoc reminiscor — Aprili;
Nulla petituris nobis mora: voce modesta
Ivimus ad patrem, sella qui sedit eburna
Publica perlustrans, semper quae legerat, acta.
Ut pater audivit, metuenti reddidit ore:
‹Unica vos estis, taetris intacta periclis,
Spes mea. Nunc igitur dictis parete paternis!
Concedam vobis tam dudum fota cupita,
Alituom decus ut pictarum veneat urbe,
Legibus his: hora tantum revenite diurna,
Ne videam immemores iussorum nocte vagantis!
Neu sermoniferi perlectent vos peregrini,
Blandificis donis qui temptent usque tenellos!

Sin amiseritis regionem, quaerite promptim
Nescioquem aedilem: plateam monstrabit eundam.
Quomque ita vendideritis avîs et vesper adescit,
Ite domum recta: penitus mea verba tenete!›
Dixerat; et madidis felices basia malis
Figimus ‹Alme pater› respondens quisque ‹valeto!›
Ille dein nos dimittit lacrimasque reterget.
Ferrivia vehimur cavea tuitante palumbes
Fulgidulos (nunc crede mihi), quos ferriviantes,
Qui digitum obtulerant, adfecti volnere parvo
Admirabantur tamen ac mulcere volebant.
Perveniebamusque urbem. Quae turba meantum,
Quique tumultus adest! Quo sunt loca plena crepore!
Nec mora: largificis stipibus nec laude minore
Sunt breviter volucres a praetereuntibus emptae;
Tempus abit memoresque domum proficiscimur inde.
Notitia haec nobis fuit urbis prima beatis.»
Desierat matercula ab his; thea frigida facta est.
Tam sollers auditor enim iam carmen adumbro.

IX

Ad sedendum nato,
Ad scribendum vocato
Praesertim in lectulo sita
Mihi placet vita.

X

In silvas fugiam dumosis frondibus amplas,
Nympharum ut videam secreta virecta domosque,
Quae tremulis implent nemorales cantibus umbras
Seliciuntque suo mortalia corda lepore.

In campos exim fugiam, qui frugiferentes
Planities flavas redhibent lateque patentes.
Hic tepido flatu commota vacillat avena,
Hic melius solis supremi cernitur aura.

Rusque, ubi mugitu perpellunt arva iuvenci,
Rus fugiam, bubus validis ubi sedulus agro
Infindit sulcos et mitia poma colonus
Educat ac paulis contentus fungitur ollis.

Hic modicis pascuntur oves in collibus herba,
Mellifluom iuncta dum fundis harundine carmen
Spemque tuae felix nutris, puer alme, puellae.
Hic sidam maneamque inglorius, hic requiescam.

XI

Cara magistra mihi, quae Romanum *docuisti*
Sermonem; felix, discere quoi liceat!
Aëra complebo (quaeso, nisi contigit aeque,
Conato ignoscas et salebram et vitium.
At nihil impediat!) laetanter carmine puro,
Plenus et inde tuis laudibus orbis erit.
Sic dignas refero grates, quoi dicere fas sit
Nos fore Romanos, *Austria quos genuit.*

XII

Quam voltus subiit pulcher et haud unguine inutili
Sparsus — falsa cupido speciei cassaque vanitas!
At tu visa mihi dulciter es par dea Naïdum,
Forma plena mera, dote bona, candida bracchiis.
Crines aetherii, quam femora et pectora complacent!
Sic ardore nimis carus amor me adficit intimo.

XIII

Desine, cura, mihi tractim problemata ferre
Segnipedique morae cede, inimica, simul,
Quoius ego indigeo iamdudum sollicitatus.
Sic animi motus mitiget illa mora!

Heu! discendo nimis — non creditis — ulcera traxi:
Successus adfert ulcera cura gravis.
Et fateor, non haec petitur tortura magistris;
Certe non! mea mens aspera poscit eam.

Quid faciam nisi continuos tolerare dolores,
Qui mihi contigerant et quibus excrucior.
Saepius hos tuleram! Quare nota fervida ventri
Inculcabatur, quae dolet atque dolet.

Quis sanare potest? Tantum tu, Musa, iubens me
Subduci pensis desidiaeque dari.
Tu mihi succurres animoque medeberis aegro,
Quoi tu semper ades praecipueque fave!

XIV

Dulciter bacchans et amore fervens
In vaporato iaceo cubili
Ore palpanti tenerisque labris
Captus amicae.

Delicate ludimus, et movere
Iam iocos lasciva solet vicissim
Lingua, iam non displicet altiores
Quaerere campos.

Quam mihi sublimis amor videtur!
Cara, persistas, Venus, in perenne,
Neve languentîs patiatur ambo
Filius umquam!

XV

Flumen in silvam intrat et hinc procacis
Indiget splendoris — erunt superbi
Solis exclusi radii, subibit
Umbra modesta.

Illa, quam fingit mea mens alacris,
Silva conpleta est requie: modo aura
Arbores turbare videtur alsas
Flamine leni.

Hic velim sidam platano sub ampla
Ac loci dulcedine mitigabor
Molle murmur percipiens fluentis
Auribus undae.

XVI

Cara mihi, Pax alma, veni teneasque coronam,
Qua tuos indulgens induitur Genius:
Mane, mane, iuture Geni, parsure popellis,
Quos rigidae terrent proelia militiae.

Ah! crudelia bella feris armata tenebris,
Vitam tecturis tristitia tacita,
Tuque, mali semen, Discordia, cedite tandem —
Lumine fulgenti praedita, Pax, venias!

Tunc timidi luctus, dolor, anxius angor abibunt,
Nubila disicient agmina luce mera,
Agmina clara, chori celebrantes, turba superna:
Laetitiam nobis denique restituas,

Pax, face salvifera collustres arva repleta
Sanguine (sic bellum polluit innocuos).
Tunc hominum indociles animi sedantur amore:
Vivere eos doceas, vivere lege tua!

XVII

Aestiva tempestas hodierna me
Compellit, ut campos bene conditos
Tantum mihi notos revisam:
Laetus eo comitante nullo.

Invitat illic trabs nemoris decus
Ornata pulchra fronde — ita temperat
Splendorem ocelli celsa caeli.
Tegmine tectus, amictus umbra

Desidero Musam dare cantica:
Accede menti lumine prospero
Iamiamque flammas adde puras,
Candida, fer mihi dulce donum!

Ah, cara, tandem sollicito venis
Harpaeque ovanti, svaviter ut soles,
Infundis exspectata dudum
Lenia carmina, molle munus.

XVIII

Ah! puella splendida claritate,
Mi places, pupilla, pusilla pupa!
Tu deabus mundities oberras
Digna venustis.

Et, sacrum desiderium, tenes me:
Nam mera dulcedine suscitatus
Quam sinu molli cupio, tenella,
Posse renasci!

Atque pura laetitia vicissim
Basiemus te usque gemente, cara!
Tune, Amor, promittis? Ades! Venique,
Musa, poëtae!

XIX

Feles nomine F*uzzi masculine,*
Carae deliciae mihi cupitae
N*ecnon pectoris intimi voluptas!*
H*em! quantis oculis pererror helvis,*
Qualis nigra vibrat meras smaragdos
Caelo pupula pulsa clariore.
D*ulcis barba sub umido redundat*
N*aso, comptaque pellis ac capilli*
P*ollent auriculae volubilesque et*
L*ingua squalida, dentis os acuti.*
P*alpanti tenere statim videris*
T*oto corpore, delicate, summo*
L*uxu, qui tribui potest, beatus.*
Qualis pugna mihi fuit te habendi,
Qualis cum patre rixa, qualis angor,
N*e non acciperem; sed alma mater*
F*autrix atque periculo paterno*
Spes est ultima fida, quom quid opto.
Sic forti prece matris adiuvantis
Mentem tam rigidi movere possum.
Laetus percipio pisinna dona,
T*e parvo calatho novom repostum,*
N*utritum prius in casa obsoleta.*
Feles dulcis, ut atrium pererras
A*ttemptante pede et tremente nare,*
Quam ridet pater et sinu recondit!
G*ratamur tibi,* F*uzzi: totus ille*
(D*etrectans prius) incitatione*
F*ormae svavis et elegantiae nunc*
Quam te captus amat fovetque bellum.

XX

Gratia, dive, tibi, quod copia facta poëtae
Carmina voce mihi est concinuisse mera.
Praesertimque tibi grates sint, Musa, perennes,
Quoius amor vatem nutrit: et ipse valet
Praecipua chordas — vires donante Camena
Pectora flammantîs — arte sonare lyrae
Pollice pellenti. Cithara cantante libenter
Carmina caelesti numine composui.

XXI

Uror et vesanus amore puro,
Cara, quam suspiria alo et recondo,
Feminis dignissima pulchriorque —
Crede videnti!

Omnibus praestas facie tenella,
Atque voltus aetherios repletos,
Alma, tantis luxuriis perenni
Corde tenebo.

Nunc tuam palpare cutem libido
Quanta praebet gaudia non loquenda;
Mi tuas leni liceat papillas
Linguere lingua.

Hoc suo concedat Amor ministro!
Bella, te curare decet decetque
Te frui me: fama loquax severûm
Nulla putetur!

XXII

Descende caelo, Musa, veni mihi:
Sana poëtam, qui miser in toro
Flaccet nec ullis adiuvatur
Deliciis et hebet vigore.

Succurre tandem neve neges mihi
Tam dulce donum! Deprecor: acria
Mutes odoro nectare inde,
Ambrosiaque fruar suavi.

XXIII

Barbito contende, superba, mecum
Et fidîs inpelle manu perita:
Tum libenter vincar et orbus ore,
Musa, tacebo.

Ah! sono, divina, tuo stupendo
Inde quam vesanus, inebriatus,
Nutriar flaccens, et ero sodalis
Plectripotentum.

Sospes, ascendisse loco remoto
Quoi licet, quem pellicit alma lingua.
Memet artis participem canorae,
Musa, creasti.

XXIV

Ecloga prosaïca

Nox adhuc tellurem et cuncta animalia casto complexu condit atque molli sopore sepulta virens vita iacet. — Sed primi diei reglescentis albores iterum studia sedula nuntiant; Aurora, priusquam sol placido terram lumine basiat, voluntatem creatoris fulgore clementi adornat: «Perenni diei et noctis vice vivatis, ut opus caeleste meum cognoscatis! Nempe terrenae vitae commutatio convenit, at numinis divini aeternitas est.» Iamque validis radiis solis Aurora pellitur: qui animans cumque experrectus est, rursum lucis donum studet usurpare. Item fecere Daphnis et Chloë: Molli somno fugato paululum Venere fruontur, antequam ovilibus pastores operam dant. Soli tepenti obviam, praeter murmurantis rivi ripam, seduli per prata virentia, per prata fulgentia balantibus ovibus atque raptim saltanti turba pullorum comitantibus vagantur. Complures mansveti canes, homini oboedientes, velociter gregem circumvolant, nequoi pecudum contingat, uti lactentibus herbis, gramine fluctuanti, viridi prato pellecta agminis tutelam fugiat atque ita ambigua obscuritate, adiacentibus silvis, forsan panthera, forsan leaena lanietur. — Iam sol medio moratur axe, sublimi caelo, iam turba gelidam quaerit umbram, quam procerae praebent quercus, iucunda silva, ubi etiam frigidus rivos claro, lucido, scaturienti latice libandas stillas tribuit. — Dum pulli esurie ducti matrum ubera sugunt, Daphnis et Chloë sinceras bacas concerpunt, quas innumerabiles arbusta frondibus amplis obumbrant. Hoc ritu Naturae mammis nutriuntur, felices, teneri, securi; Amoris deliciis indulgentes horas carpunt, donec sol vergat. Susurri venti leniter vesperum adducunt, transmontat sol rubellicolore coronamine, atque cicadis stridentibus crepuscula noctis involvontur. Arcte complexa manus consistit, claro lumine tremebundi foci fota et protecta; interea diluculum tenebricosae nocti cedit. — Sub firmamento, sub lucidis stellis omne dormit animal, dulce dormit, dum novella Aurora purpureis digitis denuo terram contingat.

XXV

Ut tenebrae fugere repulsae lumine Eoi,
Dulciter irrorans caelos Aurora rubore
Fundit agros placidis radiis super aethera netis.
Nec mora, fulgenti paulatim templa superna
Lumine concelebrat nocturnas solvere nubîs,
Tergere sol gelidum parat almus denique rorem;
Atque mera involvens tellurem luce cubantem
Excitat usque gravem somno penetratque volatu
Vitali felix auras et agrestia rura.
Lene beant zephyri campos ventique tenelli
Hos comitantur et arva suo cum flamine molli
Inficiunt tepidique calore mapalia mulcent.
Ah! celebrate diem, Nymphae, celebrate canoro
Lumina clara poli, mea rustica numina, cantu!
Rura canatis, ubi valido bove sedulus agris
Infindit sulcos et mitia poma colonus
Educat ac paula contentus fungitur olla.
Rura, ubi pascit ovîs et pastor harundine dulci
Dulcîs adducit cantus et pectore nutrit
Ardorem immensum, formosae Phyllidis ignem.
Atque nemus cantate, alsis ubi conditus ulmis
Rivos in alveolo parvo plenoque lapillis
Labitur: hic undae muto cum murmure manant.
Saepe subit Corydon ardenti pectore silvam
Phyllida visurus, svavi fruiturus amore;
Quot perceperunt carae promissa puellae
Pignora submisso pueri virgulta susurro!

Qualia singultant iuncti bona basia dantes!
At nemus amborum numquam secreta recludet. —
Quale capit desiderium mea corda morandi!
Campus agerque mihi cari dilectaque prata:
Vos iterumque iterumque beato corde saluto.
Sic, mea Musa, mera mera pascua laude loquare!

XXVI

Ut rubens Aurora polo coorta
Luce pellit purpurea tenebras
Atque caelum fundit et arva rura
Divite risu

Excitat camposque serenat udos,
Non mora est, et sol placido nitore
Orbita plerumque pari liquentem
Aethera lustrat.

Leniter terras zephyri vagantur
Et susurro murmure mitis aura
Bracchia et crinîs pueri venusti et
Pectora palpat.

Nunc oves pastor super arva ducit;
Donec hae pascuntur, harundine ille
Dispari tibicen amoena prata
Dulce sub ulmo

Tinnulo stridore iacens adimplet.
Quantus ardor, quantus amor puellae
Phyllidis carae lepidaeque Thyrsin
Cepit et urit!

Quale mi desiderium – virenti
Colle, molli gramine laeter hospes –
Otiose carmina bella ruri
Concinuisse!

XXVII

Ut rutila Aurora in polo coorta
Luce purpurea fugat tenebras
Atque caelum fundit et arva rura
Divite risu

Excitat et campos serenat udos,
Non mora est, placido nitore Phoebus
Orbita plerumque pari liquentem
Aethera lustrat.

Et zephyri lenes vagantur orbem
Atque murmure vocali volantes
Bracchia et crinîs pueri venusti et
Pectora palpant.

Nunc pecudes pastor per arva ducit;
Donec assiduae pascuntur, ille
Dispari tibicen harundine ulmi
Dulce sub umbra

Pascua tinnulo canore complet.
Quantus ardor, amor quantus puellae
Phyllidis carae lepidaeque Thyrsin
Cepit et urit!

Quale mihi cupitum – colle molli
Laeter hospes et herba fluctuanti –
Otiose carmina bella ruri
Concinuisse!

XXVIII

Quando raptus ecstasi
Versor orbus ore,
Furoris vincor emphasi
Divini captus amore.
Ut haec mihi paret viva
Picturaque trudit ocellos,
Immensa et extensiva
Aufert paene tenellos!
Quod venit inde cupitum
Deesse et sede pura —
Desiderium petitum
Saepe vita obscura —
Parte frui caelestum!

Quale nefas homini horas ante!
«Sint tibi vitae semper santae!
Pelle abs te cupitum incestum!»
Vox tonat atque imagine pulsa
Mortali redditus inde vitae
Mente quidem mulcedine mulsa
Me monuisse numen mite
Non doleo: decet me ornare
Vitam humanam et versus tornare
Nec maturius ire ad astra,
Sed terrena vereri castra.

XXIX

Dormire tantum quam cupio precans:
Accede, quaeso, sparge meum caput
Lethe sopora, quoius almo
Munere lumina egent misella!

Sermone tali Somnus identidem,
Dum lectulo versor male temperans
Inpos bonae laxationis
A lacrimis gemituque iusto,

Nostri memor sit neve domum meam
Contemnat, urgenter prece languidis
Aegre labellis effluenti
Illicitur, tamen ore puro.

Quali solutus denique numine?
Anne ipse venit? Venit et adiuvat:
Nunc somniis sensus vacillant,
Et deus addit amoma menti.

XXX

Umbra fuit, qua calcavi pede devia fesso
Perdita iucundae percontans dona quietis.
Qualis erat nebula et mihi inexsuperabilis horror
Dirus et anxiferae torturae mentis inermis.
Cor mihi subtrepidat divolso pectore quassum
Aegraque sulfurea mens est infecta mefite,
Quam lacerata cavo tellus exhalat hiatu.
«Cedite», clamabam, «circumvolitantia» saepe
Territus ore macro «flaccenti cedite monstra».
Viribus extremis attempto flectere gressum
Fatale inceptum fugiturus; at ultimus angor
Quaeque dolorifice ducit miracula imago
Denique sopierat mentem voltumque tenebris. —

Languidus exiguo post tempore tempora bruta
Sentio et assurgens titubo male sobrius ipse
Palpebris laxis et mente gravedine fusa.
Supremo nixu mea lumina tollere demum
Contigit; et nebulosa queo loca cernere voltum
Nube recedenti velatus. Liquida nubes
Me patiente (pati mihi mens fuit) inde retexta est. —

Sed quali, felix iterum, mirabile fictu,
Numine, nescioqua clementi sorte solutus?
Quae via, quive error, quod inevitabile fatum,
Nescio, num fuerit dirus sopor, anne facultas
Viva requirendi veri stragisve futurae.

XXXI: *Translationes* (I)

Homeri Odysseae prooemium Latine redditum

Inseque, Musa, virum mihi versutum atque repulsum
Saepe mari, sacram quoniam subverterat urbem.
Multorum mentîs hominum cognovit et urbîs,
Multos corde suo duros toleravit in alto,
Semet conservans et amicos, ille dolores.
Haud tamen eripuit, quamvis in corde cupisset.
Crimine deinde suo perierunt — nescia turba!
Nempe boves Phoebi comedebant altivolantis.
At diem eis reditus felicis celsus ademit.
Ex illis, Iove parta, mihi da, diva, alicunde.
Tunc alii subitae cesserunt perniciei
Atque domi fuerant refugi bellique fretique.
Coniugis et reditus cupientem dia dearum
Nympha unum sperans illum fore forte maritum
In patula cavea retinebat clara Calypso.
Sed simulac tempus venit currentibus annis,
Quo statuere dei, reditu ut poteretur Ulixes
In patriam, nondum aerumnas effugerat errans
Nec fuit inde domi nec iamtunc inter amicos.
Ast omnis miserata fuit divina potestas
Neptunum praeter — namque is vehementer Ulixi
Aequideo iratus reditum prohibere volebat.
Aethiopasque domos visit procul aedificantîs,
Aethiopas duplicîs, quae hominum suprema fuit gens —
Altera summersi exorientis et altera solis —
Hostiam ut acciperet taurûmque oviumque sacrarum.
Hic dape pastus erat decumbens; cetera turba

Conciliabatur patula tunc sub Iovis aula.
Incipit inter eos divûm pater atque hominum rex —
Nam corde Aegisthi reminiscitur innitentis,
Quem satus exemit Graiûm duce notus Orestes.
Sic meminit — dictis exin caelestibus infit:
«Hem! quali pacto divos homines accusant!
Parta mala a nobis etenim gens nescia firmat:
Fata super factis propriis mala multa parantur.
